BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
A
3

BIBLIOTECA NAZ.
XXV
A
53
NAPOLI

XI.

A.

53.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
A
53
NAPOLI

PRINCIPIA PHILOSOPHIAE

Antiquissimæ & Recentissimæ

DE

DEO, CHRISTO & CREATURA

id est

De Spiritu & Materia in genere.

Quorum beneficio resolvi possunt omnia problemata, quæ nec per Philosophiam Scholasticam, nec per communem modernam, nec per CARTESIANAM, HOBBESIANAM, *vel* SPINOSIANAM *resolvi potuerunt.*

Opusculum Posthumum

E Lingua Anglicana Latinitate donatum, cum Annotationibus ex antiqua Hebræorum Philosophia desumtis.

* * *
* * *

AMSTELODAMI
1690

BIBLIOTECA NAZIONALE

AD LECTOREM.

B. L.

Opusculum hoc in tui gratiam edimus, quod conscriptum fuit ante annos haud ita multos à Comitissa quadam Anglicana, femina ultra sexum erudita, Latinæ, Græcæque literaturæ peritissima, inque omni philosophandi genere quam maxime versata. Illa cum primum Cartesii *imbuta esset principiis, visisque istorum defectibus, postea ex lectione quorundam genuinæ Antiquitatis Philosophiæ Scriptorum tam multa observavit, ut pauca hæc Capitula in suum conscriberet usum, sed plumbagine saltem & charactere minutissimo. Quæ cum post mortem ejus inventirentur, ex parte descripta, (quia quæ restant vix legi potuerunt hactenus) & Latinitate donata sunt, ut aliqua hinc*

toti orbi literato pronascereturutilitas. eademque jam publici juris fiunt, ut quilibet Autorem mirari, veram Philosophiam agnoscere erroresque heu! nimium jam communes facilius evitare queat. Quibus Tu fruere & Vale.

PRINCIPIA PHILOSOPHIAE Antiquissimæ & Recentissimæ DE DEO, CHRISTO & CREATURA

ID EST

De Spiritu & Materia in genere.

CAPUT I.
DE DEO ET DIVINIS ILLIUS ATTRIBUTIS.

§. 1.2.3.4.5. *De DEO & divinis illius attributis.* §.6.7. *Qua ratione Trinitas concipi possit in DEO secundum Scripturam ita, ut exinde tamen non offendantur Judæi, Turcæ, vel ullus populus alius, si hi Termini: Tres distinctæ personæ; qui nec Scripturæ sunt, nec sanum habent sensum, omittantur.*

§. 1. DEUS est Spiritus, lux & vita, infinite sapiens, bonus justus, validus, omniscius, omnipræsens omnipotens; Creator & factor rerum omnium visibilium & invisibilium. *Vid, Adum-*

dumbratio Kabbalæ Chriſtianæ cap. 2. §. 2. ---- 7. In Kabbalæ denudatæ Tom. II. Tractat. ult.

§. 2. In Deo nec eſt tempus, nec mutatio, nec compoſitio, nec diviſio partium: totus enim & univerſim unus eſt, in ſeipſo, & penes ſe ipſum, ſine omni varietate vel mixtura: tenebras etiam & corporeitatem in ſeſe neutiquam habet, adeoque nec formam vel imaginem, vel figuram, qualiſcunque illa fuerit. (*Vid. Philoſophiæ Kabbaliſticæ Diſſertatio c. 3. in Kabbalæ Denudatæ Tom. I. Part. 3.*

§. 3. Ipſe quoque ſenſu proprio & reali eſt ~~Eſſentia vel ſubſtantia~~ diſtincta a Creaturis ſuis, quamvis ab illis non diviſa vel ſeparata, ſed quam arctiſſime & in ſummo gradu intime in ipſis omnibus præſens; ita tamen, ut illæ nec ſint partes ejus nec in ipſum convertibiles, prout nec ipſe eſt in illis: Ipſe quoque ſenſu vero ac proprio creator eſt rerum omnium, qui hiſce non formam tantum præbet, & figuram, ſed & eſſentiam, vitam, corpus, & quicquid alias boni habent. (*Vid. Kabbala. Denudatæ Tom. I. Part. II. pag. 30. 332.*

§. 4. Cumque in ipſo nullum ſit tempus, nec ulla mutabilitas, hinc in eodem nullatenus exiſtere poteſt nova cognitio &

vo-

voluntas, ſed voluntas & cognitio ejus æternæ ſunt, & abſque tempore, vel ſupra tempus, (*Vid. Philoſophiæ Kabbaliſticæ Diſſertatio 3.c.1.in Kabb. Denud.Tom.1.part. 3.& ibid.c.6.*

§. 5. Similiter in Deo nulla exiſtere poteſt paſſio, a creaturis ejus profecta, ſi proprie loqui velimus: omnis enim paſſio temporale quid eſt, cum tempore initium habens atque finem.

§. 6. In Deo Idea eſt, quę ipſius eſt imago, vel verbum intra ipſum exiſtens, quæ in ſubſtantia vel eſſentia unum idemque eſt cum ipſo, per quam non minus ſe ipſum cognoſcit, quam omnes res alias, & ſecundum quam imo perquam ideam vel verbum omnes creaturæ factæ ſunt & creatæ.

§. 7. Eadem ratione in Deo eſt Spiritus vel voluntas, qui ab ipſo procedit, & tamen quoad ſubſtantiam & eſſentiam unum quid eſt cum ipſo, per quam Creaturæ eſſentiam atque activitatem recipiunt, quoniam Creaturæ eſſentiam atque exiſtentiam ſuam ſimpliciter ex eo ſaltem habent, quia Deus vult eas eſſe, qui voluntas eſt ſecundum ſcientiam, maxime infinitam. Atque ſic Sapientia & Voluntas in Deo, non ſunt Entitas vel ſubſtantia quædam ab ipſo diſtincta: ſed diſtincti ſaltem modi, vel proprietates unius ejuſdemque

ſubſtantiæ. Cumque hoc illud ſit ipſum, quod, qui inter Chriſtianos ſcientia plurima & judicio pollent maximo, intelligunt per Trinitatem: Si jam negligeretur Phraſis illa de tribus diſtinctis perſonis, quæ lapis eſt offenſionis, tam Judæis, quam Turcis, & aliis populis, inque ſe revera ſanum non habent ſenſum, nec ullibi in ſcriptura reperiuntur: omnes jam facile convenire poſſent in hoc articulo; minime enim negant Deum habere ſapientiam, ideamque Eſſentialem & tale in ſeipſo verbum juxta quod omnia cognoſcit: cumque concedant, eundem rebus omnibus dare eſſentiam, neceſſario etiam agnoſcere coguntur, in ipſo dari voluntatem, per quam exequatur & in actum deducat, quod occultum eſt in illa Idea, nimirum ut illud producat, diſtinctamque exinde faciat ſubſtantiam Eſſentialem: atque hoc ipſum eſt creare, nimirum eſſentiam creaturæ, non enim ſola Idea entitatem largitur Creaturæ: ſed voluntas cum Idea conjuncta: ut cum Architectus Ideam domus in mente ſua habet, non ſola Idea ille domum ædificat, ſed voluntas cum eadem jungitur, cumque ea cooperatur.

Annotationes ad hoc Caput primum.

Antiqua Hebræorum Hypotheſis, quoad contenta ulteriora capituli hujus, talis eſt:

1. DEus cum lux eſſet omnium intenſiſſima & quidem infinita, & ſumma tamen etiam Bonitas; propter hanc Creaturas quidem condere voluit, quibus ſeſe communicaret: hę tamen intenſiſſimam illius lucem neutiquam potuiſſent tolerare. Et huc pertinent iſta ſcripturę dicta: Deus habitat in luce *inacceſſibili*. *Deum* nemo vidit unquam, &c.

2. Diminuit ergo in Creaturarum gratiam (ut locus ipſis eſſe poſſet) ſummum illum intenſæ ſuæ lucis gradum, unde locus exoriebatur, quasi vacuus circularis, Mundorum ſpatium.

3. Hoc vacuum non erat privatio, vel non ens; ſed poſitio lucis diminutę realis, quæ erat Anima Meſſiæ, Hebræis Adam Kadmon dicta: qua totum illud ſpatium implebatur.

4 Hæc anima Meſſiæ unita erat cum tota illa Luce Divinitatis, quæ intra vacuum iſtud gradu leniori, qui tolerari poſſet, remanſerat, unumque cum illa conſtituebat ſubjectum.

5. Hic Messias (λόγος sive verbum & primogenitus Dei filius appellatus) deinde intra sese (facta nova etiam suæ lucis diminutione pro Creaturarum commoditate) condebat omnium creaturarum seriem.

6. Quibus Divinitatis suæque naturæ Lumina ulterius communicabat, tamquam objecta contemplationis & amoris; qui erant actus unitivi Creaturarum & Creatoris, in qua unione creaturarum consistebat felicitas.

7. Trinitas ergo hìc occurrit Divinæ repræsentationis: primusque conceptus est Deus ipse infinitus, extra & supra productionem consideratus: Secundus est Deus idem, quatenus in Messia: & tertius idem Deus, quatenus cum Messia in Creaturis, gradu luminis minimo ad pereeptionem Creaturarum accommodato. Huc pertinet illud scripturæ dictum: Deum nemo vidit unquam, (1) Filius (2) qui in sinu Patris (1) est, nobis (3) annunciavit. (3.)

8. Sed & usitatum est apud Hebræos Personarum termino uti, verum ita, ut persona ipsis non denotet suppositum singulare, sed conceptum saltem vel repræsentandi speciem aut considerandi modum; [*Videatur Adumbratio Kabbalæ Christianæ cap.* 2. 3.]

CAP.

CAPUT II.

§. 1. *Creaturæ, quamvis Deo non ſint coæternæ, infinita tamen à principio habuerunt tempora.* §. 2. *Ita ut nullus annorum numerus, imò ne maximus quidem, quem creatus concipere poſſit intellectus, pertingere queat ad illarum uſque initium.* §. 3. *Creaturæ ſenſu diverſo fuerunt ab æterno & non fuerunt.* §. 4. *Infinitas temporum probatur ab infinita bonitate* DEI, §. 5. *Eſſentiale* DEI *attributum eſt eſſe Creatorem.* §. 6. *Quid ſit tempus, & qua ratione illud in* DEO *non ſit.*

§ 1. ET quoniam omnes creaturę ſimpliciter ex eo tantum ſunt, vel exiſtunt, quia Deus illas eſſe vult, cujus voluntas infinitè potens eſt, cujus & mandatum ſine omni inſtrumento cauſâve inſtrumentali vel materia ſolum efficiens eſt addandam creaturis entitatem: hinc neceſſariò ſequitur, cùm voluntas Dei ſit ęterna, ſive ab æterno, quòd creatio immediatè & abſque ullo temporis interventu eandem voluntatem ſequatur. Et quamvis dici nequeat, creaturas in ſe conſideratas Deo eſ-

ſe coæternas, quia hac ratione æternitas atque tempus ſimul confunderentur. Attamen creaturę & voluntas illa, quæ illas creavit, ſibi invicem tam ſunt præſentes, tamque immediatè ſeſe invicem contingunt, ut nihil intervenire queat, æquè ac ſi duo circuli immediatè ſeſe contingunt. Nec aliud aſſignare poſſumus Creaturis principium niſi Deum ipſum, æternamque illius voluntatem, quæ ſit ſecundùm æternam ejus ideam vel ſapientiam. Ex hinc naturali conſequentia ſequitur, quod tempora à Creatione ſint infinita, & ſine omni numero, quem intellectus creatus concipere queat, quomodo enim hoc poteſt eſſe finitum, vel menſuratum, quod nullum aliud habuit initium quàm æternitatem ipſam.

§. 2. Si autem aliquis dicere velit, tempora eſſe finita, jam ſupponamus menſuram illorum ab initio in circa 6000 eſſe annos, (prout quidam ſentiunt, haud longiorem eſſe temporis à primordio decurſum) ſive cum aliis (qui putant, ante hunc mundum alium fuiſſe mundum inviſibilem, è quo hic mundus viſibilis proceſſerit) ſupponamus durationem mundi fuiſſe 600000 annorum, vel alius numeri, cujuſcunque vel maximi, qui ullâ ratione concipi queat; jam quæro utrùm fieri potuit, ut mundus creatus eſſet citiùs ſive ante hoc tempus? ſi negant potentiam Dei ad certum annorum numerum

re-

reſtringunt, ſi affirmant, tempus admittunt ante omnia tempora, quæ manifeſta eſt contradictio.

§. 3. His ita prædicto modo poſitis, jam facile reſponderi poterit ad quæſtionem illam, quę tantopere torsit quam plurimos: utrum Creatio facta ſit, vel fieri potuerit ab æternitate, ſive ab æternitate, ſive ab æterno? Si enim per æternitatem & æternum intelligunt infinitum numerum temporum, hoc ſane ſenſu creatio facta eſt ab æterno: Si autem talem intelligunt æternitatem, qualem Deus habet, ita ut dicendum ſit, creaturas eſſe Deo coæternas, temporiſque carere initio, falſum hoc eſt: æque enim creaturæ ac tempora, quæ nihil ſunt aliud quam ſucceſſivæ motiones & operationes creatarum principium habuerunt, quod eſt Deus, ſive æterna voluntas Dei. Et quare mirum videatur alicui, ſi tempora in tota collectione & univerſalitate ſua dicantur infinita, tùm & minutiſſimum tempus quantulumcunque etiam concipi queat, ſpeciem in ſe habeat infinitatis? ſicut enim nullum tempus tam magnum eſt, quo non concipi poſſit majus, ita nullum eſt tam exiguum, quo non detur minus: Sexageſima enim pars minuti dividi poteſt in 60 alias & hęc in alias iterum, & ſic in infinitum.

§. 4. Sed infinitas temporum ab initio

creationis ſimiliter demonſtrari poteſt à bonitate Dei. Deus enim infinite bonus eſt, amans atque benignus, imò ipſa bonitas atque charitas, fons infinitus atque Decanus bonitatis, charitatis atque benignitatis. Jam quomodo fieri poteſt, ut fons iſte non perpetuò ſcaturiat, aquaſque vivas à ſe emittat? An non Oceanus iſte perpetuo ſuperabundabit emanatione ſua ad productionem creaturarum, & fluxu quodam continuo? Bonitas enim Dei è propriâ naturâ ſuâ communicativa eſt & multiplicativa, cùmque in ſeipſo nullâ re indigeat, nec aliquid ſibi addere queat, propter abſolutam ſuam plenitudinem, inſignemque quâ pollet, uberratem; cumque etiam ex eâdem ratione multiplicare nequeat ſeipſum, id quod idem foret, ac ſi plures fingerentur Dii, quod eſſet contradictorium, jam neceſſariò ſequitur, quod ab æterno vel abſque omni temporum numero eſſentiam dederit creaturis, alias enim hæc communicativa Dei bonitas, quod eſt eſſentiale iſtius attributum, finitum quid ſaltem eſſet, durationiſque tot ſaltem annorum ejus numerari poſſet, quo nihil eſt abſurdius.

§. 5. Eſſentiale igitur Dei attributum eſt eſſe Creatorem, adeoque conſequenter Deus ſemper fuit Creator, ſemperque Creator erit, quia alias mutaretur: & propterea creaturæ ſemper fuerunt, & ſemper erunt:

æter-

æternitas autem creaturarum nihil eſt, quam infinitas temporum, in qua ſemper fuerunt, ſemperque erunt ſine fine. Nec tamen infinitas hæc temporum æqualis eſt infinitati æternitatis Dei, quoniam æternitas divina nulla in ſe habet tempora, nihilque in ipſa dici poteſt præteritum vel futurum, ſed illa tota & ſemper præſens eſt, inque temporibus quidem eſt, ſed ab iiſdem non comprehenditur. *Hebræi, quamvis pauld aliter de iſtis loquantur, ut apparet* Kabbala denudata *tom. 1. part. 11. pag. 29. 30. & Philoſ. Kabbal. diſſertat. 3. cap. 6. & 7. in Kabb. denud. tom. 1. part, 3. huic tamen opinioni non contradicunt: quia indefinitam temporum durationem admittunt. Confeſſ. Adumbratio Kabbalæ Chriſtianæ cap. 7. §. 4. 5. 7. in Cabbalæ denud. tom. 11. tract. ult.*

§. 6. Et ratio quidem hujus manifeſta eſt, quia tempus nihil aliud eſt quam ſucceſſiva motio, ſive operatio creaturarum, quæ motio ſive operatio ſi ceſſatura eſſet, tempus ſimiliter eſſet ceſſaturum, ipſæque creaturæ ſimul deſinerent cum tempore; cùm hęc ſit natura cujuſvis creaturæ, ut in motione ſit, vel motionem quandam habeat, qua mediante progrediatur excreſcatque ad ulteriorem perfectionem. Cùmque in Deo nulla ſit ſucceſſiva motio; vel ad ulteriorem perfectionem operatio, eò quòd ille

ſit abſolutiſſime perfectus; hinc nulla tempora in Deo ſunt ejuſque æternitate. Porrò etiam quia nullæ in Deo ſunt partes, nulla etiam in ipſo ſunt tempora, omnia enim tempora ſuas habent partes, & quidem in infinitum diviſibiles, prout jam dictum.

CAP. III.

§. 1. *Deus eſt agens liberrimum, & tamen etiam maximè neceſſarium.* §. 2. *Indifferentia voluntatis, quam Scholaſtici in Deo eſſe opinati ſunt, merum eſt figmentum.* §. 3. *Deus creavit mundum non propter externam quandam neceſſitatem, ſed ex interno impulſu divinæ ſuæ bonitatis & ſapientiæ.* §. 4. *Creaturæ creatæ ſunt infinitæ, mundique ſunt infiniti.* §. 5. *Creaturarum minima, quam concipere poſſumus, infinitas in ſe habet creaturas.* §. 6. *Id quod tamen creaturas Deo non reddit æquales.* §. 7. *Refutatio ſpatiorum imaginariorum, quæ à Scholaſticis fuere conficta, quaſi extra creaturas exiſterent.* §. 8. *In Deo locum non habet ulla ſucceſſiva motio.* §. 9. *Reſpon-*

ſio

ſio ad objectionem. §. 10. *Omnes creaturæ ſunt unitæ & quidem certo modo.*

§. 1. PRæterea ſi debitè conſiderentur præmemorata Dei attributa, & in ſpecie hęc duo : nimirum illius ſapientia atque bonitas, omnino jam refutari poteſt, & eliminari illa voluntatis indifferentia, quam Scholaſtici falſoque ſic dicti Philoſophi in Deo eſſe opinati ſunt, quamque improprie appellarunt liberum arbitrium. Quamvis enim Dei voluntas ſit liberrima, ita ut quidquid faciat erga creaturas ſuas ſine omni externa violentia, vel coactione, vel ſine omni à creaturis profecta cauſa liberè enim eſt, ſponte ille facit, quidquid facit, illa tamen indifferentia agendi vel non agendi, nullo modo dicenda eſt in Deo eſſe ; hęc enim non niſi imperfectio eſſet, Deumque ſimilem efficeret corruluptibilibus creaturis. Iſta enim voluntatis indifferentia fundamentum eſt omnis mutabilitatis & corruptibilitatis in Creaturis, ita ut nullum foret malum in Creaturis, ſi mutabilitas non eſſet. Si ergo ſupponeretur eandem in Deo eſſe, ille ſupponeretur eſſe mutabilis, ſimiliſque adeo fieret homini corruptibili, qui ſępe aliquid facit ex mero arbitrio, non autem vera ſolidaque ratione, ſive ſapientiæ ductu: ubi ſimilis eſt crudelibus illis, qui in

mun-

mundo ſunt, tyrannis, qui plurima faciunt ex mera ſua voluntate, ſua freti potentia, ita ut factorum ſuorum haud reddere queant aliam, quam merum ſuum arbitrium: Cùm tamen quilibet vir bonus eorum, quæ agit vel acturus eſt, congruam reddere queat rationem: idque propterea quia novit atque intelligit veram bonitatem ac ſapientiam hoc ipſum á ſe requirere ut id faceret: quare illud etiam effectum eſſe vult, ex eo quod rectum ſit, ita ut ſi illum non faceret, officii non foret memor.

§. 2. Vera ergo Juſtitia ſive Bonitas nullam habet in ſe latitudinem vel indifferentiam, ſed ſimilis eſt lineæ cuidam rectæ, quæ ducta eſt ab uno puncto ad aliud: ubi dici non poteſt, inter duo puncta indifferenter duci poſſe duas vel plures lineas, quę omnes ſint rectæ, eò quòd una tantum queat eſſe recta, cęteris omnibus exiſtentibus curvis, idque ſecundùm magis vel minus, quatenus nempe plus minuſve ab una illa recta linea diſcedunt. Unde manifeſtum eſt, hanc ipſam voluntatis differentiam nullum in Deo habere locum, eò quòd ſit imperfectio: qui propterea quamvis agens liberrimum ſimul tamen etiam eſt maxime neceſſarium agens, ita ut non poſſit non facere, quidquid facit in creaturis ſuis, vel erga eas, cum propria ipſius infinita ſapientia, bonitas atque juſtitia lex ipſi ſint, quam

tranſ-

transgredi haud possit. *Vide Philos. Cabbal. dissertat. 3. cap. 6. & 7. in Kabbalæ denud. tom. 1. part. 3.*

§. 3. Hinc ergo manifestè simul consequitur, non indifferens fuisse Deo, utrum voluerit essentiam dare Creaturis, an minus: sed ab interno quodam impulsu divinæ suæ bonitatis atque sapientiæ eas faciebat; adeoque mundos sive creaturas tam cito creabat, quam poterat: hæc enim est natura agentis necessarii facere quantumcumque possit. Cùm ergo potuerit mundo, vel creaturas infinitis temporibus creare ante 6000 annos, sive ante 60000 vel 600000 &c. Hinc sequitur eum hoc feciſſe. Porrò Deus omnino facere potest, quod non implicat contradictionem: hoc autem contradictionem non implicat, si mundi vel creaturæ dicantur fuisse vel continuo extitisse infinitis temporibus ante hoc momentum, prout sunt infinito tempore post hoc momentum: sique nulla est contradictio in casu posteriori, nulla etiam esse potest in priore; ex paritate rationis.

§. 4. His attributis debitè consideratis etiam sequitur creaturas esse infinito numero creatas, vel dari infinitatem mundorum sive creaturarum factarum à Deo. Cùm enim Deus sit infinitè potens, nullus dari potest creaturarum numerus, ut non semper facere possit plures; Et quia prout jam probatum

est,

eſt, ille facit, quantumcumque facere poteſt: certè voluntas, bonitas & benignitas ejus tam eſt ampla atque extenſiva, quàm ipſius potentia: unde manifeſto conſequitur creaturas eſſe infinitas, infinitiſque modis creari, ita ut nullo terminari limitarive queant numero vel menſurâ. Ponamus exempli gratia totam creaturarum univerſitatem eſſe circulum, cujus ſemidiameter tot contineat terræ diametros, quot ſunt grana pulveris vel arenæ in toto terræ globo, ſi ille divideretur in Atomos tam exiguas, ut 100000 earumdem in unico papaveris grano continerentur. Quis jam negare poterit infinitam Dei poteſtatem hunc numerum facere potuiſſe majorem, majoremque adhuc ſemper facere poſſe in infinitam uſque multiplicationem? cùm facilius ſit infinitæ huic poteſtati multiplicare reales creaturarum eſſentias, quam perito eſt Arithmetico numerum aliquem ſemper facere majorem atque majorem, qui nunquam poteſt eſſe tam magnus, ut non ſive addendo, ſive multiplicando idem poſſit in infinitum augeri. Cumque jam demonſtratum ſit, Deum eſſe agens neceſſarium, & omnia facere quæcumque facere poteſt: neceſſe eſt, illum multiplicaſſe & ſemper adhuc multiplicare atque adaugere eſſentias creaturarum in infinitum. *De infinitate videri poteſt Philoſ. Cabbaliſt diſſert. 1, cap. 6, & diſſert. 3, c. 1. in Kabb.*

Kabb. denud. tom.I. part 3. unde melius creaturæ dicerentur indefinitæ quam infinitæ.

§. 5. Eadem ratione etiam probatur, quod non ſaltem totum univerſum ſive ſyſtema creaturarum ſimul conſideratarum infinitum ſit, vel infinitatem in ſe habeat, ſed etiam quælibet creatura, quamvis minima, quam noſtris conſpicere queamus oculis, noſtrave concipere mente, talem in ſe habeat partium, vel potius integrarum creaturarum infinitatem, ut numerari nequeant. Sicut enim negari non poteſt; Deum locare poſſe unam creaturarum in aliam: ita duas æque ſic locare poterit ac unam, & æque quatuor ac duas, & ſic octo eodem modo quam quatuor, ut ita illas multiplicaret ſine fine minores ſemper locando intra majores. Cùmque nulla creatura tam poſſit eſſe parva, ut non ſemper dari queat minor, ſicut nulla tam eſt magna, quâ non ſemper dari poſſit major. jam ſequitur, quòd in minima creaturarum exiſtere & contineri queant creaturæ infinitæ, quæ omnes poſſint eſſe corpora, ſuoque modo erga ſe invicem impenetrabilia. Quoad illas autem creaturas, quæ ſunt ſpiritus, ſeſeque invicem penetrare poſſunt, in quolibet ſpiritu creato eſſe poterit aliqua ſpirituum infinitas, qui ſpiritus omnes æqualis ſint extenſionis tam cum ſpiritu prædicto, quàm ſecum invicem; hoc enim in caſu ſpiritus ſunt ſubtiliores & ſpiritualiores, qui

pe-

penetrant groſſiores, magiſque corporeos; unde nullus hic eſſe poteſt ſpatii defectus, ut alter alteri cedere cogatur. De natura autem corporum & ſpirituum plura dehinc dicentur ſuo loco. Hoc ſolum hîc demonſtrare ſufficiat, quòd in qualibet creatura ſive illa ſpiritus ſit, ſive corpus, ſit infinitas ęterarum, quæ ſingulæ iterùm in ſe habeant infinitatem, quælibet etiam harum, & ſic in infinitum.

§. 6. Hæc omnia inſigniter extollunt, atque commendant magnam Dei potentiam atque bonitatem ex eo quod abſolutè ipſius infinitudo in operibus manus ejus eluceſcat, imô in quâlibet creatura ab ipſo producta. Nec enim objici poteſt, nos creaturas Deo ſtatuere æquales, ſicut enim unum infinitum majus eſſe poteſt altero: ita Deus ſemper infinitè major eſt, quàm omnes ipſius creaturæ, ita ut nulla hic inſtitui poſſit comparatio. Atque ſic reverâ inviſibilia Dei clare videntur, ſi intelligantur per illa, vel in illis, quæ facta ſunt. Quo majora enim & magnificentiora ſunt opera, eo magis eadem oſtentant opificis ſui magnitudinem. Quapropter illi qui ſtatuunt univerſum creaturarum numerum, ſolummodo eſſe finitum, & ex tot ſaltem conſiſtere individuis quod numerari queant; totumque univerſi corpus totſaltem occupare jugera vel milliaria, vel diametros terræ ſecundùm longitudinem, latitudinem

&

profunditatem, exili nimirum & indecoro cogitandi gradu, tantam considerant majestatem: Deusque ille, quem hi sibi fingunt, verus non est Deus, sed idolum propriæ suæ imaginationis, quem illi tam angusto includunt habitaculo, qualis aviculæ exiguæ incarceratæ caveę, quæ mensuram paucorum pollicum adæquat: quid enim est aliud mundus ille, quem ipsi supponunt, respectu veri magnique illius universi superius descripti?

§. 7. Si autem dicant, se Deum non includere finito huic universo, sed imaginari eundem non minus extra hoc etiam existere in infinitis spatiis imaginariis, æque ac intra illud. Ad hæc respondetur, Si spatia hæc imaginaria mere sunt imaginaria, illa sane non nisi vanissima sunt cerebri figmenta, si vero entia sunt realia, quid aliud esse possunt quam Creaturæ Dei. Præterea Deus vel operatur in spatiis istis vel non: Si non, Deus ibi non est, ubicumque enim est, ibi operatur, cúm hæc illius sit natura, ut ita agat, prout natura est ignis, quod ardeat, vel solis, quod splendeat. Ita enim Deus perpetuo operatur, opusque ejus est creare, vel essentiam dare Creaturis secundùm æternam illam, quæ in ipso est, Ideam vel sapientiam. *Juxta Hebræos Deus infinitus quem Ænsoph vocant, propterea dicitur extra mundi locum existere, quia creatura immen-*

si-

ſitatem lucis ejus capere non poſſet, vid. quæ dicta ſunt in annot. ad cap. 1. Nec dicendus eſt exiſtere in ſpatiis imaginariis, quia Deo planè nullum competit ſpatium. Quin & operari ibidem dici poteſt ſimplici ſua activitate: quidquid autem ratione creaturarum operatur, per Meſſiam eſt, qui non eſt immenſus ut Ænſoph ipſum.

§. 8. Hæc autem continua actio vel operatio Dei, quatenus in ipſo eſt, vel ab ipſo prodit, ſive quatenus reſpectum habet ad ipſum, ſolummodò unus eſt actus continuus, ſive mandatum voluntatis ejus, nec ſucceſſionem ſive tempus in ſe habet, nec prius, nec poſterius: ſed ſimul ac ſemper præſens eſt Deo, ita ut nil ſui ſit præteritum, nihilque futurum, eò quòd partes non habeat. Quatenus verò eluceſcit vel terminatur in creaturis, tempus habet partiumque ſucceſſionem: Et quamvis imaginatio vel conceptus difficulter admodum concipiat, vera tamen & ſolida ratio ſufficienter illud evincit. Conceptui tamen noſtro exiguum præſtat auxilium, commune humileque exemplum, quod ſequitur? Ponatur magnus Circulus ſive rota moveri per centrum, ibi Centrum in uno ſemper quieſcit loco, prout quidam opinantur. Solem hoc modo moveri circa ſuum centrum ab Angelo quodam vel Spiritu in centro exiſtente, intra ſpatium tot vel tot dierum;

Jam

Jam verò quamvis centrum totam moveat rotam, magnamque & continuam in illo efficiat motionem, ipſum tamen quietum permanet ſemper, nec ullo movetur modo; Quanto magis iſtud in Deo ita ſe habet, qui primus eſt motor in omnibus creaturis ſuis, juxta omnes motiones illarum veras ac ordinatas: ille autem ipſe non movetur ab his, verum hoc ipſum, quod analogicè in illo reſpondet motionibus ſive operationibus creaturarum, regimen eſt voluntatis ſuæ: Quod ſi propriè loqui velimus, motio non eſt, quia omnis motio ſucceſſiva eſt, inque Deo locum habere non poteſt, prout ſuperius eſt demonſtratum.

§. 9. Contra hoc autem quod á nobis dictum eſt, minima etiam creaturarum, qualiſcunque denique concipi queat, infinitas in ſe habere creaturas, ita ut vel minima particula corporis ſive materiæ infinitis modis extendi dividique poſſit in partes minores minoreſque ſemper & magis exiguas á quibuſdam objectio formatur ſubſequens.

Illud quod actualiter divisibile eſt, in quantum actualis divisio ullatenus fieri poteſt, diviſibile eſt in partes indiſcerptibiles. Materia autem ſive corpus (materia nimirum illa integralis vel compoſita) actualiter diviſibilis eſt, in quantum actualis diviſio ullatenus poteſt fieri &c. Ergo &c. Reſpondeo: Hoc argumentum laborare fallacia illa, quam

quam Logici appellant compoſitiones non componendorum, quæ eſt con unctio verborum ſive terminorum, quę implicant contradictionem ſive abſurditatem; eaque latet in hoc termino: *Actualiter diviſibile*; qui denotat unam eandemque rem diviſam eſſe & non eſſe diviſam: *Actualiter* enim ſignificat diviſionem, & *diviſibile* non diviſionem, ſed ſaltem capacitatem, juxta quam aliquid dividi queat. Quod tam eſt abſurdum & contradictorium, ac ſi quis dicat: viſibiliter cæcum, ſenſibiliter inſenſibilem, vel vivaciter mortuum. Si autem per terminos: *Actualiter diviſibile*; non intelligant duo, ſed unum ſaltem quid, nimirum, quod vel revera ſit diviſum, vel ſaltem diviſibile, fallacia facile ſe nobis exhibebit. Primò enim ſi τὸ *actualiter diviſibile* nihil aliud ipſis denotet, quam quod diviſum ſit hoc ſenſu; Majorem concedo: Quod nimirum illud, quod revera eſt diviſum in quantum actualis divisio ullatenus fieri poteſt, ſit diviſibile in partes indiſcerptibiles. Verùm hac ratione falſa eſt minor; quod nempe materia actualiter diviſa ſit eo uſque, quouſque actualis diviſio ullatenus fieri poteſt. Secundò autem ſi per id quod *actualiter diviſibile* dicunt, intelligant rem ſolummodo *diviſibilem*, ſeu in qua eſt potentia ſive capacitas, ut ita dividi queat; jam majorem nego, nimirum quod

quod illud, quod diviſibile eſt, in quantum diviſio fieri poteſt, diviſibile ſit in partes indiſcerptibiles. Et præterea hoc ſenſu propoſitio illa mere eſt tautologica, inaniſque ejuſdem rei repetitio, qualis nempe & hæc eſſet: Quidquid removeri poteſt à loco ſuo, eatenus quatenus removeri poteſt; id removeri poteſt ad aliquam uſque diſtantiam. Sed Londinum vel Roma removeri poſſunt à loco ſuo eatenus quatenus removeri poſſunt. Ergo &c. Sic eadem argumentandi forma probari poteſt, quod anima hominis finitum ſaltem annorum habeat numerum, quibus exiſtat vel eſſentiam habeat: quodque conſequenter ſit mortalis finemque habeat, ita nimirum: Illud, cujus tempus ſive duratio actualiter diviſibilis eſt eouſque quouſque actualis diviſio ullatenus fieri poteſt, habiturum eſt finem, & diviſibile eſt in finitum annorum numerum; ſed animæ tempus ſive duratio actualiter diviſibilis eſt eouſque quouſque actualis diviſio ullo modo deduci poteſt: Ergo &c. Si regeratur, quod tempus animæ, ſi pervenerit ad talem annorum diviſionem, finem quidem habiturum ſit, fieri autem poſſe, ut deinde accipiat tempus aliud poſt hoc primum, & ſic in infinitum. Jam idem & ego reſpondeo: quod nempe materia, ſi pervenerit ad talem uſque diviſionem, finem quidem

dem habeat iſtius divisionis, deinceps autem admittere poſſet aliam divisionem poſt hanc primam, & ſic in infinitum. Et hic notari velim: Cùm dico; minimam, particulam corporis ſive materiæ ita dictæ divisibilem ſemper eſſe ulterius in minores partes in infinitum, ita ut nulla divisio actualiter fieri queat in materia, quæ non ſemper ulterius ſit divisibilis, ſive capax, ut in minora dividatur, idque ſine fine; quod hoc ipſo non determinem, quid abſoluta Dei potentia factura ſit, vel facere poſſit, prout quidam inaniter & craſſo modo diſputant, ſed tantum insinuem, quid potentia Dei faciat, vel factura eſſet, qvatenus operatur in creaturis & ſimul cum creaturis, in quantum ſcilicet in omnibus productionibus & generationibus, prout etiam in omnibus reſolutionibus & divisionibus corporum natura ſive Creatura nunquam dividat ullum corpus in tam minutas partes, & nunquam ita dividere illud queat, ut quælibet iſtarum partium non ſemper capax ſit ulterioris divisionis; quæque præterea corpus ullius creaturæ nunquam reduci queat in ſua minima; imò quæ eouſque reduci non poſſit, vel per ſubtiliſſimas operationes ullius creaturæ, ſive creatæ poteſtatis. Et hæc reſponsio ad ſcopum noſtrum ſufficit: Deus enim nullam facit divisionem in ullo corpore ſive materia, niſi

niſi in quantum cooperatur cum creaturis; & propterea ipſe nunquam reducit creaturas in minimas earum partes, quia deinde omnis motio & operatio in creaturis ceſſatura eſſet, (hæc enim eſt natura omnis motionis, ut atterat & dividat rem aliquam in partes ſubtiliores) hæc enim facere contrarium eſſet ſapientię & bonitati Dei; ſi enim omnis motio vel operatio ceſſaret in aliqua creatura, illa creatura omnino foret inutilis in creatione, adeoque melior non eſſet, quam ſi foret merum nihilum & purum putum non ens. Id autem prout jam dictum eſt, quod contrarium eſt ſapientiæ atque bonitati Dei, ſive ulli ipsius attributorum, Deus facere non poteſt (*Diviſio rerum nunquam fit in minima Mathematica, ſed in minima Phyſica: cumque materia concreta eouſque dividitur, ut in monades abeat Phyſicas, qualis in primo materialitatis ſuæ ſtatu erat; videatur de productione materiæ* Kabb. *denud. tom. 1. par. 11. pag. 310. ſeqq. & tom. 11. & tract. ult. p. 28. n. 4. 5.*) *tunc iterum ſuſcipere apta eſt ſuam activitatem, fierique Spiritus: prout in cibis noſtris evenit.*)

§. 10. Conſideratio autem infinitæ hujus diviſibilitatis quarumcunque rerum in partes ſemper minores, non inanis eſt vel inutilis Theoria; ſed uſus longe maximi, ut nimirum intelligantur cauſæ rationeſque rerum, & quomodo omnes

creaturę à ſumma ad imam uſque inſeparabiliter unitæ ſint invicem mediantibus ſubtilioribus his partibus, quæ inter ipſas intercedunt, quæque ſunt emanationes creaturarum ex una in aliam, per quas illæ in ſe invicem agere poſſunt in maximam uſque diſtantiam : Et hoc eſt fundamentum omnis ſympathiæ & antipathiæ, quæ in creaturis occurrunt, ſique hæc bene intelligantur de aliquo, ille facile introſpicere poterit in cauſas plurimarum rerum ſecretiſſimas & occultiſſimas, quas homines ignari vocant qualitates occultas.

CAPUT IV.

§. 1. *Utrum Deus omnes creaturas creaverit ſimul, an verò temporibus ſucceſſivis.* §. 2. *Quòd in homine Chriſto omnia conſiſtant, ſuamque habeant eſſentiam.* §. 3. *Et quod Chriſtus, quatenus homo ſit primogenitus omnium Creaturarum.* §. 4. *Sed quod nulla unquam Creatura eo pertingere queat, ut ipſi fiat æqualis.*

§. 1. EX iis, quæ ſupra dicta ſunt, facile jam reſponderi poteſt ad perplexam illam quæſtionem, utrum videlicet Deus

Deus omnes creaturas creaverit ſimul, an vero aliam poſt aliam? Si enim vox *Creare* Deum reſpicit, ipſum, ſive internum mandatum voluntatis ejus, id factum eſt ſimul; ſi verò reſpicit creaturas, id factum eſt ſucceſſive: Sicut enim natura & eſſentiale attributum Dei eſt, ut ſit immutabilis ſive ſine ſucceſſione; ita natura creaturarum in eo conſiſtit, ut ſint mutabiles & ſucceſſivę. Deinde ſi vox *Creare* reſpectum habet ad univerſalia ſemina & principia, quæ quaſi ſcaturigines ſunt & fontes, è quibus creaturæ profluunt in ordine ſucceſſionum ſuarum Deo ipſi ſubordinata, quod maximum eſt & primum rerum omnium principium; etiam dici poteſt omnes creaturas creatas eſſe ſimul, & ſpeciatim ſi reſpiciatur Meſſias ſive Chriſtus, Dei, qui eſt primogenitus omnium creaturarum, per quem omnia dicuntur facta eſſe, prout Johannes id declarat atque Paulus qui expreſſè affirmat, per Jeſum Chriſtum omnia facta eſſe, viſibilia & inviſibilia.

§. 2. Jeſus Chriſtus autem ſignificat Chriſtum integrum, qui Deus eſt & homo, quatenus Deus, λόγος dicitur, ἔνδιαθετος verbum Patris eſſentiale; quatenus autem homo, λόγος eſt προφορικὸς verbum expreſſum vel prolatum perfecta & ſubſtantialis imago illius verbi, quod in Deo eſt atque æternaliter, inque perpetuum cum iſto unitum, ita ut hoc

ſit ipſius vehiculum & organum, ſicut corpus eſt reſpectu animæ, cujus verbi prolati quod eſt ſapientia Dei, non tantum Scriptura novi Teſtamenti, ſed & veteris diversis in locis faciat mentionem, ut *Prov.* 8. 22, 31. *& Prov.* 3. 19. *Pſal.* 33. 6. *Pſal.* 22. 2. *Pſ.* 110. *p. t. Joh.* 1: 1, 2, 3. *&c. Eph.* 3: 9 *Col.* 1: 15, 16, 17. Qui locus nimirum *Col.* 1: 15, 16, 17. explicationem in ſe continet priorum, quod nempe per filium ſive verbum, ſive ſapientiam non ſimpliciter & nude Deus ipſe intelligatur, vel aliquod ipsius attributorum: quomodo enim aliquod attributorum ejus appellari poteſt imago Dei invisibilis, cùm hoc æque ſit invisibile ac ipſe? unde imago aliquid ſignificat quod productum eſt in visibilitatem, quodque peculiari quadam via repræſentat & revelat Deum invisibilem plusquam ulla Creaturarum.

§. 3. Et propter eandem rationem ipſe à Paulo in loco ſupra citato appellatur primogenitus omnium creaturarum, quo denotatur relatio ejus, quam habet ad Creaturas, quæ in primitivo ſtatu ſuo omnes erant quaſi filii Dei; ubi ipſe primogenitus fuit omnium iſtorum filiorum, quique ut ita dicam, quaſi filii ſunt iſtius primogeniti Filii Dei. Et propterea dicitur, quod in ipſo omnia conſiſtant, ſive ſuam habeant exiſtentiam, quodque ex ipſo exorta ſint tan-

tanquam rami à radice, ita tamen ut semper permaneant in eo certo quodam modo.

§. 4. Non quasi æquales ipsi essent, & ejusdem cum ipso naturæ, quia alias ex ipsis nulla unquam potuisset degenerare, & mutari á bono in malum: quare sunt naturæ multo inferioris, respectu primogeniti, ita ut nunquam, si proprie loqui velimus, in ipsum converti queant; sicut & ipse nunquam converti potest in Patrem. Summum autem illud, ad quod pertingere queunt, hoc est, ut ipsi sint similes, prout Scriptura declarat: unde nostra filiatio, qui meræ tantum sumus creaturæ, tantum vocatur adoptio.

CAP. V.

§. 1. *Quod antiqui Cabbalistæ agnoverint talem primogenitum Dei Filium, quem etiam vocaverunt Adamum cælestem, Adamum primum, Sacerdotem magnum.* §. 2. *Quod Christus sit medium inter Deum & inter creaturas omnes.* §. 3. *Tale ens medium tam sit demonstrabile è principiis sanæ rationis, quam demonstrari potest esse Deum.* §. 4. *Quod Deus sit immediatè præsens tam in Christo, quàm in omnibus creaturis.* §. 5. *Quod*

Chriſtus ſit immutabilis ad malum, & mutabilis ad bonum, adeoque tam participet divinitatem, quam creaturalitatem, ſimulque æternitatem & tempus, §. 6. Quod neque Chriſtus, neque iſti, qui perfectè cum illo uniti ſunt, ſubjecti ſint legibus temporis, quatenus tempus ſignificat rerum deſtructionem. §. 7. Quo ſenſu dici poſſumus excedere à tempore & ſupra tempus in ſublimiorem regionem.

§. 1. QUamvis jam aliqua dicta sint de Filio Dei, qui primogenitus eſt omnium creaturarum capite præcedente: plura tamen dicenda reſtant de hac materia, quæ admodum ſunt neceſſaria pro vero ſubſequentium intellectu, unde in hunc finem peculiare hic formamus capitulum. Per Filium Dei primogenitum omnium creaturarum, quem nos Chriſtiani appellamus nomine JESU CHRISTI, ſecundùm Scripturas, prout ſupra declaratum eſt, non ſolum intelligitur ipsius Divinitas, ſed ipsius Humanitas in æterna unione cum Divinitate, id eſt, prout ipsius cæleſtis humanitas unita erat cum Divinitate, antequam mundus eſſet, adeoque antequam veniret in carnem. De quo antiqui Kabbaliſtæ plurima prodiderunt; nimirum de

Dei

Dei Filio, quatenus creatus eſt, deque illius exiſtentia in ordine naturę ante omnes creaturas; item quod omnes accipiant benedictionem & ſanctificationem in eo, & per eum; quem etiam in Scriptis ſuis appellarunt Adamum cæleſtem, Adam Kadmon ſeu hominem primum, Sacerdotem magnum, Maritum ſive Sponſum Eccleſiæ, prout & Philo Judęus eundem appellat primogenitum Dei Filium.

§. 2. Filius iſte Dei primogenitus omnium creaturarum, nimirum cæleſtis hic Adam, Sacerdoſque magnus, prout doctiores Judæorum illum appellant, proprie loquendo eſt medium inter Deum & Creaturas. Idque quod nimirum detur tale ens medium tam eſt demonſtrabile, quam quod ſit Deus: ubi intelligitur tale quoddam ens, quod ſua quidem natura minus ſit Deo, & tamen ſua natura majus & excellentius omnibus creaturis reliquis, unde etiam propter hanc ſuam excellentiam recte vocatur Filius Dei. *De hoc Filio Dei, qui Judæis Adam Kadmon dicitur, plura videri poſſunt in Kabb. denud. tom. I. part. I. p. 28. 30. part. II. p. 33. ſeqq. 37. ſeqq. part. III. p. 31. uſque ad 64. p. 3--- 78. &c. & Kabb. denud. tom. II. part. 2. p. 244. & tractat. ult. p. 6. 7.---26.*

§. 3. In ordine igitur ad hanc demonſtrationem conſideranda primum eſt natura

ſive Eſſentia Dei, ſummi Entis; deinde etiam natura & eſſentia creaturarum, quæ paululum invicem ſunt comparandæ, unde immediate nobis apparebit natura hæc media. Natura igitur & eſſentia Dei, prout etiam jam in præcedentibus eſt oſtenſum, omnino eſt immutabilis, prout non ſolum Scriptura ſacra, ſed & connatus nobis intellectus, qui à Deo mentibus noſtris eſt inſitus declarant. Si ergo in Deo aliqua eſſet mutabilitas, neceſſe eſt, ut illa tenderet ad ulteriorem Bonitatis menſuram vel gradum, tunc autem ipſe non eſſet ſummum bonum, quod eſt contradictorium. Porrò ſi aliquid progreditur ad majorem Bonitatis gradum, hoc omnino fit propter ens quoddam majus, cujus virtutis & influentiæ illud fit particeps: Jam viro majus non datur Ens, quam Deus, adeoque ille nullo modo melioratur, nec melior fieri poteſt, multoque minus decreſcere, quod imperfectionem argueret. Manifeſtum ergo manet, quod Deus ſive Ens ſummum omnino ſit immutabile. Jam autem cum natura Creaturarum realiter ſit diſtincta à natura Dei, ita ut quædam ſint attributa Dei, quæ creaturis ſint incommunicabilia; inter quæ etiam eſt immutabilitas, hinc neceſſariò ſequitur, Creaturæ eſſe mutabiles, quia alias forent Deus ipſe; quin & quotidiana nos docet experientia, creaturas eſſe mutabiles,

biles, & continuo variari ex uno ſtatu in alium. Duplex autem eſt mutabilitas, una ſecum habet potentiam ſe mutandi ſive ad bonum ſive ad malum, & hæc communis eſt omnibus creaturis, non vero primogenito omnium creaturarum. Altera eſt potentia procedendi à bono ſaltem ad bonum. Triplex ergo hic datur Entium claſſis: Prima eſt, quæ omnino eſt immutabilis: Secunda, quę mutabilis eſt ſolummodo ad bonum, ita ut illud, quod ſua natura bonum quidem eſt, evadere tamen poſſit melius. Tertia eſt: quæ cum natura ſua bona quidem eſſet, mutari tamen potuit tam in bonum, quam à bono in malum. Prima & ultima trium harum Claſſium ſunt extremæ, ſecunda autem naturale medium eſt inter illas, per quæ extrema uniuntur, iſtudque medium participat utrumque extremorum & propterea medium eſt commodiſſimum & maximè proprium: particeps enim eſt unius extremi, quod nempe mutabile eſt, videlicet à bono ad majorem boni menſuram, ut & alterius extremi, quod nempe omnino ſit immutabile à bono ad malum. Et tale medium neceſſario requirebatur in ipſa natura rerum, quia alias remanſiſſet Chaſma, unumque extremum unitum fuiſſet cum altero extremo ſine medio, quod eſt impoſſibile, & contra naturam rerum,

ſitatem lucis ejus capere non poſſet, vid. quæ dicta ſunt in annot. ad cap. 1. Nec dicendus eſt exiſtere in ſpatiis imaginariis, quia Deo planè nullum competit ſpatium. Quin & operari ibidem dici poteſt ſimplici ſua activitate: quidquid autem ratione creaturarum operatur, per Meſſiam eſt, qui non eſt immenſus ut Ænſoph ipſum.

§. 8. Hæc autem continua actio vel operatio Dei, quatenus in ipſo eſt, vel ab ipſo prodit, ſive quatenus reſpectum habet ad ipſum, ſolummodò unus eſt actus continuus, ſive mandatum voluntatis ejus, nec ſucceſſionem ſive tempus in ſe habet, nec prius, nec poſterius: ſed ſimul ac ſemper præſens eſt Deo, ita ut nil ſui ſit præteritum, nihilque futurum, eò quòd partes non habeat. Quatenus verò ellucſcit vel terminatur in creaturis, tempus habet partiumque ſucceſſionem: Et quamvis imaginatio vel conceptus difficulter admodum concipiat, vera tamen & ſolida ratio ſufficienter illud evincit. Conceptui tamen noſtro exiguum præſtat auxilium, commune humileque exemplum, quod ſequitur? Ponatur magnus Circulus ſive rota moveri per centrum, ibi Centrum in uno ſemper quieſcit loco, prout quidam opinantur. Solem hoc modo moveri circa ſuum centrum ab Angelo quodam vel Spiritu in centro exiſtente, intra ſpatium tot vel tot dierum;

Jam

Jam verò quamvis centrum totam moveat rotam, magnamque & continuam in illo efficiat motionem, ipsum tamen quietum permanet semper, nec ullo movetur modo; Quanto magis istud in Deo ita se habet, qui primus est motor in omnibus creaturis suis, juxta omnes motiones illarum veras ac ordinatas: ille autem ipse non movetur ab his, verum hoc ipsum, quod analogicè in illo respondet motionibus sive operationibus creaturarum, regimen est voluntatis suæ: Quod si propriè loqui velimus, motio non est, quia omnis motio successiva est, inque Deo locum habere non potest, prout superius est demonstratum.

§. 9. Contra hoc autem quod á nobis dictum est, minima etiam creaturarum, qualiscunque denique concipi queat, infinitas in se habere creaturas, ita ut vel minima particula corporis sive materiæ infinitis modis extendi dividique possit in partes minores minoresque semper & magis exiguas á quibusdam objectio formatur subsequens.

Illud quod actualiter divisibile est, in quantum actualis divisio ullatenus fieri potest, divisibile est in partes indiscerptibiles. Materia autem sive corpus (materia nimirum illa integralis vel composita) actualiter divisibilis est, in quantum actualis divisio ullatenus potest fieri &c. Ergo &c. Respondeo: Hoc argumentum laborare fallacia illa, quam

quam Logici appellant compoſitiones non componendorum, quæ eſt con unctio verborum ſive terminorum, quę implicant contradictionem ſive abſurditatem; eaque latet in hoc termino: *Actualiter diviſibile*; qui denotat unam eandemque rem diviſam eſſe & non eſſe diviſam: *Actualiter* enim ſignificat diviſionem, & *diviſibile* non diviſionem, ſed ſaltem capacitatem, juxta quam aliquid dividi queat. Quod tam eſt abſurdum & contradictorium, ac ſi quis dicat: viſibiliter cæcum, ſenſibiliter inſenſibilem, vel vivaciter mortuum. Si autem per terminos: *Actualiter diviſibile*; non intelligant duo, ſed unum ſaltem quid, nimirum, quod vel revera ſit diviſum, vel ſaltem diviſibile, fallacia facile ſe nobis exhibebit. Primó enim ſi τὸ *actualiter diviſibile* nihil aliud ipſis denotet, quam quod diviſum ſit hoc ſenſu; Majorem concedo: Quod nimirum illud, quod revera eſt diviſum in quantum actualis divisio ullatenus fieri poteſt, ſit diviſibile in partes indiſcerptibiles. Verùm hac ratione falſa eſt minor; quod nempe materia actualiter diviſa ſit eo uſque, quouſque actualis diviſio ullatenus fieri poteſt. Secundó autem ſi per id quod *actualiter diviſibile* dicunt, intelligant rem ſolummodo *diviſibilem*, ſeu in qua eſt potentia ſive capacitas, ut ita dividi queat; jam majorem nego, nimirum

quod

quod illud, quod divisibile est, in quantum divisio fieri potest, divisibile sit in partes indiscerptibiles. Et præterea hoc sensu propositio illa mere est tautologica, inanisque ejusdem rei repetitio, qualis nempe & hæc esset: Quidquid removeri potest à loco suo, eatenus quatenus removeri potest; id removeri potest ad aliquam usque distantiam. Sed Londinum vel Roma removeri possunt à loco suo eatenus quatenus removeri possunt. Ergo &c. Sic eadem argumentandi forma probari potest, quod anima hominis finitum saltem annorum habeat numerum, quibus existat vel essentiam habeat: quodque consequenter sit mortalis finemque habeat, ita nimirum: Illud, cujus tempus sive duratio actualiter divisibilis est eousque quousque actualis divisio ullatenus fieri potest, habiturum est finem, & divisibile est in finitum annorum numerum; sed animæ tempus sive duratio actualiter divisibilis est eousque quousque actualis divisio ullo modo deduci potest: Ergo &c. Si regeratur, quod tempus animæ, si pervenerit ad talem annorum divisionem, finem quidem habiturum sit, fieri autem posse, ut deinde accipiat tempus aliud post hoc primum, & sic in infinitum. Jam idem & ego respondeo: quod nempe materia, si pervenerit ad talem usque divisionem, finem quidem

dem habeat iſtius divisionis, deinceps autem admittere poſſet aliam divisionem poſt hanc primam, & ſic in infinitum. Et hic notari velim: Cùm dico; minimam, particulam corporis ſive materiæ ita dictæ divisibilem ſemper eſſe ulterius in minores partes in infinitum, ita ut nulla divisio actualiter fieri queat in materia, quæ non ſemper ulterius ſit divisibilis, ſive capax, ut in minora dividatur, idque ſine fine; quod hoc ipſo non determinem, quid abſoluta Dei potentia factura ſit, vel facere poſſit, prout quidam inaniter & craſſo modo diſputant, ſed tantum insinuem, quid potentia Dei faciat, vel factura eſſet, qvatenus operatur in creaturis & ſimul cum creaturis, in quantum ſcilicet in omnibus productionibus & generationibus, prout etiam in omnibus reſolutionibus & divisionibus corporum natura ſive Creatura nunquam dividat ullum corpus in tam minutas partes, & nunquam ita dividere illud queat, ut quælibet iſtarum partium non ſemper capax ſit ulterioris divisionis; quæque præterea corpus ullius creaturæ nunquam reduci queat in ſua minima; imò quæ eouſque reduci non poſſit, vel per ſubtiliſſimas operationes ullius creaturæ, ſive creatæ poteſtatis. Et hæc reſponsio ad ſcopum noſtrum ſufficit: Deus enim nullam facit divisionem in ullo corpore ſive materia,

niſi

niſi in quantum cooperatur cum creaturis; & propterea ipſe nunquam reducit creaturas in minimas earum partes, quia deinde omnis motio & operatio in creaturis ceſſatura eſſet, (hæc enim eſt natura omnis motionis, ut atterat & dividat rem aliquam in partes ſubtiliores) hæc enim facere contrarium eſſet ſapientiæ & bonitati Dei; ſi enim omnis motio vel operatio ceſſaret in aliqua creatura, illa creatura omnino foret inutilis in creatione, adeoque melior non eſſet, quam ſi foret merum nihilum & purum putum non ens. Id autem prout jam dictum eſt, quod contrarium eſt ſapientiæ atque bonitati Dei, ſive ulli ipsius attributorum, Deus facere non poteſt (*Diviſio rerum nunquam fit in minima Mathematica, ſed in minima Phyſica: cumque materia concreta eouſque dividitur, ut in monades abeat Phyſicas, qualis in primo materialitatis ſuæ ſtatu erat; videatur de productione materiæ* Kabb. *denud. tom. 1. par. 11. pag. 310. ſeqq. & tom. 11. & tract. ult. p. 28. n. 4. 5.*) *tunc iterum ſuſcipere apta eſt ſuam activitatem, fierique Spiritus: prout in cibis noſtris evenit.*)

§. 10. Conſideratio autem infinitæ hujus diviſibilitatis quarumcunque rerum in partes ſemper minores, non inanis eſt vel inutilis Theoria; ſed uſus longe maximi, ut nimirum intelligantur cauſæ rationeſque rerum, & quomodo omnes

creaturę à ſumma ad imam uſque inſeparabiliter unitæ ſint invicem mediantibus ſubtilioribus his partibus, quæ inter ipſas intercedunt, quæque ſunt emanationes creaturarum ex una in aliam, per quas illæ in ſe invicem agere poſſunt in maximam uſque diſtantiam : Et hoc eſt fundamentum omnis ſympathiæ & antipathiæ, quæ in creaturis occurrunt, ſique hæc bene intelligantur de aliquo, ille facile introſpicere poterit in cauſas plurimarum rerum ſecretiſſimas & occultiſſimas, quas homines ignari vocant qualitates occultas.

CAPUT IV.

§. 1. *Utrum Deus omnes creaturas creaverit ſimul, an verò temporibus ſucceſſivis.* §. 2. *Quòd in homine Chriſto omnia conſiſtant, ſuamque habeant eſſentiam.* §. 3. *Et quod Chriſtus, quatenus homo ſit primogenitus omnium Creaturarum.* §. 4. *Sed quod nulla unquam Creatura eo pertingere queat, ut ipſi ſiat æqualis.*

§. 1. EX iis, quæ ſupra dicta ſunt, facile jam reſponderi poteſt ad perplexam illam quæſtionem, utrum videlicet Deus

Deus omnes creaturas creaverit simul, an vero aliam post aliam? Si enim vox *Creare* Deum respicit, ipsum, sive internum mandatum voluntatis ejus, id factum est simul; si verò respicit creaturas, id factum est successive: Sicut enim natura & essentiale attributum Dei est, ut sit immutabilis sive sine successione; ita natura creaturarum in eo consistit, ut sint mutabiles & successivę. Deinde si vox *Creare* respectum habet ad universalia semina & principia, quæ quasi scaturigines sunt & fontes, è quibus creaturæ profluunt in ordine successionum suarum Deo ipsi subordinata, quod maximum est & primum rerum omnium principium; etiam dici potest omnes creaturas creatas esse simul, & speciatim si respiciatur Messias sive Christus, Dei, qui est primogenitus omnium creaturarum, per quem omnia dicuntur facta esse, prout Johannes id declarat atque Paulus qui expressè asirmat, per Jesum Christum omnia facta esse, visibilia & invisibilia.

§. 2. Jesus Christus autem significat Christum integrum, qui Deus est & homo, quatenus Deus, λόγος dicitur, ἔνδιαθετος verbum Patris essentiale; quatenus autem homo, λόγος est προφορικὸς verbum expressum vel prolatum perfecta & substantialis imago illius verbi, quod in Deo est atque æternaliter, inque perpetuum cum isto unitum, ita ut hoc

ſit ipſius vehiculum & organum, ſicut corpus eſt reſpectu animæ, cujus verbi prolati quod eſt ſapientia Dei, non tantum Scriptura novi Teſtamenti, ſed & veteris diversis in locis faciat mentionem, ut *Prov.* 8. 22, 31. *& Prov.* 3. 19. *Pſal.* 33. 6. *Pſal.* 22. 2. *Pſ.* 110. *p. t. Joh.* 1: 1, 2, 3. *&c. Eph.* 3: 9 *Col.* 1: 15, 16, 17. Qui locus nimirum *Col.* 1: 15, 16, 17. explicationem in ſe continet priorum, quod nempe per filium ſive verbum, ſive ſapientiam non ſimpliciter & nude Deus ipſe intelligatur, vel aliquod ipsius attributorum: quomodo enim aliquod attributorum ejus appellari poteſt imago Dei invisibilis, cùm hoc æque ſit invisibile ac ipſe? unde imago aliquid ſignificat quod productum eſt in visibilitatem, quodque peculiari quadam via repræſentat & revelat Deum invisibilem plusquam ulla Creaturarum.

§. 3. Et propter eandem rationem ipſe à Paulo in loco ſupra citato appellatur primogenitus omnium creaturarum, quo denotatur relatio ejus, quam habet ad Creaturas, quæ in primitivo ſtatu ſuo omnes erant quaſi filii Dei; ubi ipſe primogenitus fuit omnium iſtorum filiorum, quique ut ita dicam, quaſi filii ſunt iſtius primogeniti Filii Dei. Et propterea dicitur, quod in ipſo omnia conſiſtant, ſive ſuam habean exiſtentiam, quodque ex ipſo exorta ſin

tan-

tanquam rami à radice, ita tamen ut ſemper permaneant in eo certo quodam modo.

§. 4. Non quaſi æquales ipſi eſſent, & ejuſdem cum ipſo naturæ, quia alias ex ipſis nulla unquam potuiſſet degenerare, & mutari á bono in malum: quare ſunt naturæ multo inferioris, reſpectu primogeniti, ita ut nunquam, ſi proprie loqui velimus, in ipſum converti queant; ſicut & ipſe nunquam converti poteſt in Patrem. Summum autem illud, ad quod pertingere queunt, hoc eſt, ut ipſi ſint ſimiles, prout Scriptura declarat: unde noſtra filiatio, qui meræ tantum ſumus creaturæ, tantum vocatur adoptio.

CAP. V.

§. 1. *Quod antiqui Cabbaliſtæ agnoverint talem primogenitum Dei Filium, quem etiam vocaverunt Adamum cæleſtem, Adamum primum, Sacerdotem magnum.* §. 2. *Quod Chriſtus ſit medium inter Deum & inter creaturas omnes.* §. 3. *Tale ens medium tam ſit demonſtrabile è principiis ſanæ rationis, quam demonſtrari poteſt eſſe Deum.* §. 4. *Quod Deus ſit immediatè præſens tam in Chriſto, quàm in omnibus creaturis.* §. 5. *Quod Chri-*

Chriſtus ſit immutabilis ad malum, & mutabilis ad bonum, adeoque tam participet divinitatem, quam creaturalitatem, ſimulque æternitatem & tempus, §. 6. Quod neque Chriſtus, neque iſti, qui perfectè cum illo uniti ſunt, ſubjecti ſint legibus temporis, quatenus tempus ſignificat rerum deſtructionem. §. 7. Quo ſenſu dici poſſumus excedere à tempore & ſupra tempus in ſublimiorem regionem.

§. 1. QUamvis jam aliqua dicta sint de Filio Dei, qui primogenitus eſt omnium creaturarum capite præcedente: plura tamen dicenda reſtant de hac materia, quæ admodum ſunt neceſſaria pro vero ſubſequentium intellectu, unde in hunc finem peculiare hic formamus capitulum. Per Filium Dei primogenitum omnium creaturarum, quem nos Chriſtiani appellamus nomine JESU CHRISTI, ſecundùm Scripturas, prout ſupra declaratum eſt, non ſolum intelligitur ipsius Divinitas, ſed ipsius Humanitas in æterna unione cum Divinitate, id eſt, prout ipsius cæleſtis humanitas unita erat cum Divinitate, antequam mundus eſſet, adeoque antequam veniret in carnem. De quo antiqui Kabbaliſtæ plurima prodiderunt; nimirum de

Dei

Filio, quatenus creatus eſt, deque il-
exiſtentia in ordine naturę ante om-
creaturas; item quod omnes accipiant
:dictionem & ſanctificationem in eo, &
eum; quem etiam in Scriptis ſuis ap-
arunt Adamum cæleſtem, Adam Kad-
n ſeu hominem primum, Sacerdotem
gnum, Maritum ſive Sponſum Eccleſiæ,
ɔut & Philo Judęus eundem appellat pri-
ogenitum Dei Filium.

§. 2. Filius iſte Dei primogenitus om-
ium creaturarum, nimirum cæleſtis hic
\dam, Sacerdoſque magnus, prout doctio-
es Judæorum illum appellant, proprie lo-
quendo eſt medium inter Deum & Creatu-
tas. Idque quod nimirum detur tale ens
medium tam eſt demonſtrabile, quam quod
ſit Deus: ubi intelligitur tale quoddam ens,
quod ſua quidem natura minus ſit Deo,
& tamen ſua natura majus & excellentius
omnibus creaturis reliquis, unde etiam
propter hanc ſuam excellentiam recte vo-
catur Filius Dei. *De hoc Filio Dei, qui Judæis Adam Kadmon dicitur, plura videri poſſunt in Kabb. denud. tom.* I. *part.* 1. *p.* 28. 30. *part.* II. *p.* 33. *ſeqq.* 37. *ſeqq. part.* III. *p.* 31. *uſque ad* 64. *p.* 3---78. *&c. & Kabb. denud. tom.* II. *part.* 2. *p.* 244. *& tractat. ult. p.* 6. 7.---26.

§. 3. In ordine igitur ad hanc demonſtra-
tionem conſideranda primum eſt natura

ſive Eſſentia Dei, ſummi Entis; deinde etiam natura & eſſentia creaturarum, quæ paululum invicem ſunt comparandæ, unde immediate nobis apparebit natura hæc media. Natura igitur & eſſentia Dei, prout etiam jam in præcedentibus eſt oſtenſum, omnino eſt immutabilis, prout non ſolum Scriptura ſacra, ſed & connatus nobis intellectus, qui à Deo mentibus noſtris eſt inſitus declarant. Si ergo in Deo aliqua eſſet mutabilitas, neceſſe eſt, ut illa tenderet ad ulteriorem Bonitatis menſuram vel gradum, tunc autem ipſe non eſſet ſummum bonum, quod eſt contradictorium. Porró ſi aliquid progreditur ad majorem Bonitatis gradum, hoc omnino fit propter ens quoddam majus, cujus virtutis & influentiæ illud fit particeps: Jam viro majus non datur Ens, quam Deus, adeoque ille nullo modo melioratur, nec melior fieri poteſt, multoque minus decreſcere, quod imperfectionem argueret. Manifeſtum ergo manet, quod Deus ſive Ens ſummum omnino ſit immutabile. Jam autem cum natura Creaturarum realiter ſit diſtincta à natura Dei, ita ut quædam ſint attributa Dei, quæ creaturis ſint incommunicabilia; inter quæ etiam eſt immutabilitas, hinc neceſſariò ſequitur, Creaturæ eſſe mutabiles, quia alias forent Deus ipſe; quin & quotidiana nos docet experientia, creaturas eſſe mutabiles,

, & continuo variari ex uno ſtatu in
. Duplex autem eſt mutabilitas, una
habet potentiam ſe mutandi ſive ad
m ſive ad malum, & hæc communis
mnibus creaturis, non vero primoge-
omnium creaturarum. Altera eſt po-
a procedendi à bono ſaltem ad bonum.
plex ergo hic datur Entium claſſis: Pri-
eſt, quæ omnino eſt immutabilis: Se-
la, quę mutabilis eſt ſolummodo ad
am, ita ut illud, quod ſua natura bo-
quidem eſt, evadere tamen poſſit me-
. Tertia eſt: quæ cum natura ſua bona
lem eſſet, mutari tamen potuit tam in
um, quam à bono in malum. Prima &
ma trium harum Claſſium ſunt extremæ,
nda autem naturale medium eſt inter
, per quæ extrema uniuntur, iſtudque
dium participat utrumque extremorum
propterea medium eſt commodiſſimum
maximè proprium: particeps enim eſt
us extremi, quod nempe mutabile eſt,
licet à bono ad majorem boni menſu-
n, ut & alterius extremi, quod nempe
nino ſit immutabile à bono ad malum.
tale medium neceſſario requirebatur in
a natura rerum, quia alias remanſiſſet
aſma, unumque extremum unitum fuiſ-
cum altero extremo ſine medio, quod
impoſſibile, & contra naturam rerum,

prout apparet in toto hujus universi cursu. (*Per immutabilitatem Messiæ hic intelligi debet illa, quæ est moralis, non quæ naturalis. Sunt enim qui objiciunt: Christum frustra tentatum fuisse, si naturaliter fuisset immutabilis. Vid. Matth. 4: 3. Heb. 2: 17. 18. cap. 4: 15. Sunt autem argumenta plura, mere philosophica; quorum in Philosophia Kabbalistica (Kabb. denud. tom. 1. part. 3, dissert. 2. cap. 1.) tredecim adducuntur, quod à principio primo immediatè emanaverit principatum unum tantum & perfectum: quod cap. 2. & 7. etiam confirmatur autoritatibus Philosophorum antiquorum & recentium una cum responsione ad objectiones in contrarium factas.*)

§. 4. Medium hoc Ens tam crasso modo non est intelligendum, quasi in medio quodam loco consisteret inter duo extrema, sicut truncus corporis in medio consistit loco inter caput & pedes: sed medium est respectu suæ naturæ, sicut est argentum inter stannum & aurum, vel aqua inter aërem & terram, quæ tamen comparationes grossæ sunt admodum respectu ipsius rei. Nec etiam supponat aliquis, filium tale esse medium inter Deum & Creaturas, quasi Deus ipse non immediatè præsens esset in omnibus creaturis: Is enim revera immediate præsens est in omnibus, & im-

ediate repſet omnia, quin & immediate
eratur in omnibus ſenſu proprio. Sed hoc
telligendum eſt reſpectu illius unionis &
mmunionis, quam creaturæ habent cum
eo, ita ut quamvis Deus immediatè ope-
tur in omnibus, idem tamen prædicto
ic utatur medio, tanquam inſtrumento,
r quod cooperetur in creaturis, eô quod
ud ipſum ſua natura quodantenus eiſdem
vicinius: & tamen quia iſte longe eſt ex-
llentior omnibus reliquis productionibus
as appellamus creaturas, idque ſua na-
ra; hinc merito vocatur primogenitus
nninm creaturarum, Deique Filius po-
is quam Dei creatura; ejusque productio
tius eſt generatio vel emanatio à Deo,
am Creatio, ſi vox hæc ſtricto accipia-
r ſenſu: quamvis ſecundùm latiorem ſen-
n uſumque hujus vocis ipſe etiam dici
eat creatus eſſe vel formatus, prout Scri-
ura alicubi de ipſo loquitur. Si autem
s ipſa debitè intelligatur, vanum eſt de
rbis contendere. Interea tamen etiam fi-
s hominis potius dicitur eſſe generatus
eo quam factus vel creatus. De domo
em vel navi ab homine facta, non di-
nus eſſe ipſius filium, ſed ipſius opus,
ia filius ejus viva ipſius eſt imago & ſi-
litudo, quod de domo vel navi dici
n poteſt. Sic prima hęc Dei extorſum
ta productio commodius & magis pro-

prie vocatur ipſius filius quam Creatura, quia hic eſt viva ipſius imago, majorque & excellentior omnibus creaturis. Id autem ſequitur, quod ipſe hic filius immediate præſens ſit in iſtis omnibus, ut illis benedicat, ſive benefaciat; Cumque idem verum ſit illud medium inter Deum & creaturas neceſſe eſt, illum intra ipſas exiſtere, ut illas operando excitet ad unionem cum eo. Cumque ipſe ſit excellentiſſima Dei extrorſum facta productio & expreſſiſſima atque perfectiſſima ejuſdem imago neceſſe eſt, ipſum ſimilem eſſe Deo in omnibus ſuis attributis, quæ ſine contradictione eidem dici poſſunt eſſe communicatæ, & per conſequens neceſſe eſt. ipſum eſſe omnipræſentem. Præterea ſi ipſe non ubique eſſet præſens in omnibus creaturis, omnino chaſma exiſteret & hiatus inter Deum & creaturas, ubi ipſe non eſſet, quod eſt abſurdum.

§. 5. Porro ſicut ipſe particeps eſt immutabilitatis Dei, & mutabilitatis creaturarum, adeoq; medium eſt inter id quod omnino eſt immutabile, & quod omnino eſt mutabile, participans utrumque: Sic etiam dici poteſt eſſe particeps æternitatis (quæ Deo eſt propria) & temoris (quod proprium eſt creaturis) & quamquam in ſuperioribus dictum ſit, nihil intercedere inter æternitatem & tempus, ſive inter creaturas & voluntatem Dei, quæ

eaſdem creavit, tempus tamen & crea-
ibidem intelligenda ſunt ſenſu latiori,
elicet cum reſpectu ad omnes Dei pro-
tiones ad extra factas; ita ut medium
ens æque tunc ibidem comprehenda-
, ac entia reliqua. Nec enim concipere
umus medium hoc ens tempore fuiſ-
creaturis prius, ſed ſolummodo ordi-
naturæ, ita ut revera nihil temporis,
te accepti, fuerit inter creaturas & om-
eatricem Dei voluntatem atque poten-
n, quę illas creavit.

6. Si autem per tempus, ſecundum
mmunem vocis ſignificationem intelliga-
s ſuccedaneum incrementum vel decre-
mtum rerum, juxta quæ ad certam uſ-
periodum procreſcunt, & ab illa ite-
deficiunt, donec moriantur, vel mu-
tur in alium vitæ ſtatum, hoc ſenſu om-
o dici poteſt, quod neque medium hoc
neque ulla Creatura perfecte cum ipſo
ta, ſubjecta ſint tempori, ejuſdemque
ibus, temporis enim leges ad certam
tingunt periodum, ſive ætatem, &
ndo periodus illa abſoluta eſt, res illæ
pori ſubjectę deficiunt & conſumuntur,
oque moriuntur vel mutantur in aliam
itus rerum ſpeciem, juxta illud anti-
m:

empus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas
mnia deſtruitis.

Et

Et hac ratione tempus in quatuor dividitur partes ſecundùm ætatem hominis in hoc mundo viventis: quæ ſunt *Infantia*, Juventus, Virilis ætas & ſenectus ad mortem uſque; ita ut omnia, quæ tempore terminata ſunt, ſubjecta quoque ſint interitui & corruptioni, vel mutentur in aliam rerum ſpeciem: ſicut videmus aquam mutari in lapides, lapides in terram, terram in arbores, & arbores in animalia ſive creaturas viventes.

Sed in excellentiſſimo illo Ente medio nec defectus vel corruptio, nec mors proprie loquendo ullum habet locum, iſtudque balſamum quoddam quaſi eſt potentiſſimum & efficaciſſimum, quæ omnia præſervari poſſunt à decrementis atque morte, quæcumque ipſi juncta vel cum ipſo unita ſunt, adeoque hic omnia perpetuo ſunt nova, vegeta & vireſcentia; hic perpetua eſt juventus ſine ſenectute, & hic tamen ſenectutis eſt perfectio, nimirum magna ſapientiæ & experientiæ incrementa, ſine tamen ulla iſtius ætatis imperfectione.

Cùm autem Chriſtus perveniret in carnem: inque corpore ſuo, quod è cælo ſecum ferebat, (*omnis enim ſpiritus creatus vehiculum quoddam habet, ſive terreſtre, ſive aëreum, ſive æthereum quale hoc fuit*) aliquid aſſumeret naturæ noſtræ, & per conſequens naturæ omnium rerum; (quia natura hominis

in ſe habet naturam omnium creatu-
, unde etiam vocatur microcoſmus)
in carne & ſanguine aſſumtam naturam
ſanctificabat , ut per illam ſanctificare
t omnia , utque illa eſſet tanquam pars
enti ad fermentandam totam maſſam ;
deſcendebat intra tempus , & pro cer-
riodo ſponte ſe ipſum ſubjiciebat legi-
emporis , eouſque ut magna toleraret
enta mortemque ipſam. Mors autem
iu ipſum detinebat , tertia enim die
gebat finiſque omnium ipſius paſſionum
pſam uſque mortem & ſepulturam hic
, ut ſanaret curaretque & reſtauraret
uras à corruptione & morte , quæ ipſis
rvenerat per lapſum , utque tandem hac
ne finem imponeret temporibus , &
turas elevaret ſupra tempora ad ſeipſum,
ipſe commoratur , qui eſt idem heri &
ie & in ſempiternum , ſine decremen-
corruptione vel morte. Similiter in ſpi-
li ſua internaque apparitione in homi-
per quam ſalvare , curare & reſtaurare
tuit ipſorum animas, ipſe quaſi ſubjicit ſe
m paſſionibus & morti aliquatenus, adeo-
pro certo quodã temporis ſpatio hic ſub-
titur legibus temporis , ut elevet animas
ninum ſupra tempus & corruptibilitatem
ium ad ſe ipſum , in quo benedictionem
ipiunt , creſcuntque de gradu in gradum
onitate atque virtutibus & benedictione
nfinitum.

§. 7.

§ 7. Hac ratione illi, qui ad perfectam cum Chriſto perveniunt unionem, elevantur in regionem perfectæ tranquillitatis, ubi nihil videtur vel ſentitur, quod moveat, vel impellat. Quamvis enim vehementiſſimæ & velociſſimæ motiones ibidem exiſtant, nihilominus tamen, quia eædem tam uniformiter, tamque æqualiter & harmonice moventur, ſine omni contrarietate vel conturbatione omnino videntur quieſcère, cujus rei exempla in rebus externis dari poſſunt plurima. Revera enim duæ Amotionum ſpecies, quæ corporeo noſtro viſui videntur motione carere: videlicet illa, quæ admodum velox eſt & incitatiſſima, & quæ admodum tarda eſt, ita ut media ſaltem ſpecies à nobis diſcerni queat. Jam ergo ſub tempore ejuſque legibus comprehendi poſſunt non ſolummodo terra & res terrenæ, ſed etiam Sol, Luna & Stellæ, omniſque viſibilis pars mundi una cum multis, quæ ſunt inviſibilia, ita ut poſt longam quandam temporum periodum res iſtæ omnes mutari poſſint in aliam plane rerum ſpeciem, idque per eundem curſum & ordinem illius divinæ operationis, quem Deus indidit rebus omnibus tanquam legem ſive juſtitiam, qua divina ipſius ſapientia conſtituit cuivis creaturæ retribuere ſecundum opera ejus. Atque hæc nunc ſufficiant de excellentiſſimo hoc Ente medio, de quo non deerit occaſio adhuc plura & in ſeqq. commemorare. CAP.

CAP. VI.

Quod omnes Creaturæ in propria ſua ıtura *ſint mutabiles.* §. 2. *Quouſque* :c *mutabilitas ſe extendat, utrùm ad* 'entias *rerum, an ſaltem ad earum mo-* ɔs *exiſtendi & attributa.* §. 3. *Quod-* ɹe *tantummodo modi exiſtendi ſint mu-* ibiles, *non autem eſſentia.* §. 4. *Quod* es *tantum ſint Entium ſpecies eſſentia-* ter *à ſe invicem diſtinctæ, nimirum,*)eus, *qui ſuprema; Chriſtus qui me-* a, *& Creaturæ, quæ infima eſt.* 5. *Quod iſta diſtinctio admodum ſit* ɛceſſaria, *& nos præſervet, ne prola-* ımur *in extrema ex utraque parte no-* ɔs *obvia, quorum unum eſt, Rante-* ſmi, *alterum craſſæ ignorantiæ; qui-* ɹs *obfuſcatur gloria divinorum attribu-* ɹrum. §. 6. *Exemplum hujus datur.* 7. *Quod juſtitia Dei glorioſe admo-* ɹm *appareat in tranſmutatione rerum* b *una ſpecie in aliam.* §. 8. *Quod cùm* iritus *hominis per impietatem ſeſe mu-* ıt *in qualitates atque conditiones bruti,* ɹſte *ſit ſecundùm Deum, ut prædictus*

ſpi-

ſpiritus brutalis ſubintret in corpus bruti, ibique ad certum aliquod tempus puniatur. §. 9. *Quam variæ ſint de Deo pravæ Ideæ, & quomodo iſte concipiatur in hominibus per pravas opiniones.* §. 10. *Quare mundus primo fuerit extirpatus per undas, deſtruendusque tandem ſit per ignem: quodque omnes pœnæ ſint Medicinales.* §. 11. *Quod qualibet creatura compoſita ſit ex corpore & ſpiritu, & quomodo qualibet creatura, ſicut in ſe habet plura corpora, ita in ſe habeat plures ſpiritus ſub uno Generali Spiritu prædominante, qui imperium habeat in omnes reliquos.*

§. 1. QUod omnes creaturæ in ſua natura ſint mutabiles, diſtinctio inter Deum & creaturas recte conſiderata ſatis oſtendit, idque quotidiana etiam teſtatur experientia. Jam ſi aliqua creaturarum mutabilis eſt in ſua natura, illa hanc mutabilitatem habet, quatenus creatura eſt; & conſequenter omnes creaturæ obtinebunt eandem juxta regulam illam: quidquid alicui rei competit, quatenus eſt ſub hac vel illa ſpecie, id competit omnibus ſub illa ſpecie contentis. Jam verò quod mutabilitas competat creaturæ, quatenus eſt creatura (quod eſt

no-

ien generaliſſimum iſtius ſpeciei, ſub
omnes creaturæ comprehenduntur)
de patet, quia alias nulla eſſet diſtinctio
: Deum & Creaturam : Si enim ulla
tura eſſet ſua natura & per ſe immutabi-
lla foret Deus, quia immutabilitas unum
x attributis iſtius incommunicabilibus.
2. Jam conſideremus, quouſque hæc
ibilitas extendi queat, vel extendatur?
imo quidem, utrùm individuum unum
ri queat in aliud individuum, ſive e-
m ſpeciei, ſive diverſę? Hoc dico
mpoſſibile; tunc enim ipſæ rerum eſ-
ę mutarentur, id quod magnam exci-
confuſionem, non tantùm in Crea-
, ſed & in ſapientia Dei, quæ omnia fe-
Exempli gratia, Si hic vir mutari póſ-
alium, nimirum Paulus in Judam, vel
s in Paulum, tunc ille, qui peccavit,
ɔuniretur pro hoc peccato, ſed ipſius
alius, qui innocens eſſet & virtute præ-
. Sic etiam vir probus non acciperet
ium virtutis ſuæ; ſed alius quidam vitiis
erſus ipſius loco. Si autem ſuppona-
, probum unum mutari in probum a-
, ut Paulus in Petrum & Petrus in Pau-
Paulus ſane non reciperet prę̃mium
ium, ſed Petri, nec Petrus reciperet
, ſed Pauli, quæ eſſet confuſio, nec
et Dei ſapientiam. Præterea ſi ipſæ
n eſſentiæ individuales mutari poſſent

in

in ſe invicem, ſequeretur creaturas non habere verum eſſe, adeoque certi eſſe non poſſemus ullius rei, nec veram habere poſſemus ullius rei cognitionem vel ſcientiam, adeoque omnes innatę notiones & dictamina veritatis, quæ omnes homines in ſe reperiunt, falſa eſſent & per conſequens etiam Concluſiones exinde factæ. Omnis enim ſcientia vera, ſive certitudo cognitionis ab objectorum dependet veritate, quæ communiter etiam appellantur veritates obiectivæ. Si ergo hæ veritates objectivæ mutarentur in ſe invicem, ſane etiam propoſitionum veritas, quæ inde dependet, mutaretur, adeoqne nulla propoſitio immutabiliter poſſet eſſe vera, imo nec clariſſima quidem & maximè obvia, quales ſunt iſtæ: totum eſt majus ſua parte, & hæc: duo dimidia efficiunt integrum.

§. 3. Secundo conſiderandum eſt, utrùm una rerum ſpecies mutari poſſet in aliam? ubi quam accuratiſſimè obſervandum erit, qua ratione rerum ſpecies à ſe invicem diſtinguantur: multæ enim ſunt ſpecies rerum, quæ communiter ita quidem dicuntur, & tamen in ſubſtantia vel eſſentia à ſe invicem non differunt, ſed in certis tantùm modis ſive proprietatibus; cumque hi modi ſive proprietates mutantur, res illa dicitur ſuam mutaſſe ſpeciem. Num enimverò hæc non eſt ipſa Eſſentia ſive Entitas,

ſed

tantùm eſſendi modus, qui ita muta-
ut cum aqua non quidem mutatur, ſed
:m remanet, frigus autem eundem coa-
it, cùm antea eſſet fluida: Cùm aqua mu-
r in lapidem, nulla ſanè eſt ratio, quare
magis ſupponamus mutationem factam
ſubſtantiæ, quàm in priori exemplo de
a in glaciem mutata. Et rurſus cùm lapis
:atur in terram molliorem atque tene-
, nulla hic eſt ſubſtantiæ mutatio. Et ſic
mnibus mutationibus aliis, quas in rebus
ervare licet, ſubſtantia ſive eſſentia ſem-
remanet eadem, eſt mutatio ſaltem mo-
ım, ita ut res ceſſet hoc modo, incipiat-
modo eſſe aliò. Et revera eædem ratio-
evincunt, quod una ſpecies quoad ſub-
tiam vel eſſentiam ab alia diſtincta mu-
non poſſit in aliam, perinde ac unum
ividuum non mutari poteſt in aliud.
:ciés enim rerum nihil ſunt aliud, quam
ividua ſub una generali & communi Idea
ntis, vel ſub uno communi loquendi
nino digeſta: ut homo quatenus ſpecies
ſub ſe comprehendit omnia hominum in-
idua & equus eſt ſpecies comprehendens
nia equorum individua. Et ſi vir unus
mutari poteſt in virum alium, multomi-
vir iſte mutari poteſt in aliud indivi-
im alius ſpeciei: ut ſi Alexander non po-
mutari in Darium, mutari etiam non
eſt in proprium equum ſuum Buce-
ılum.

§. 4.

§. 4. Ut igitur ſciamus, quouſque mutationes rerum pertingere queant, jam examinandum eſt, qnot ſint rerum ſpecies, quæ quoad ſubſtantiam vel eſſentiam á ſe invicem diſtinguuntur. Sique accurate in id inquiramus, tres tantum inveniemus, quæ, ut ſupra dictum, ſunt Deus, Chriſtus & Creaturæ: quodque hæ tres quoad eſſentiam realiter à ſe invicem ſint diſtinctæ, jam probatum eſt. Nulla autem poteſt dari ratio, qua probetur, dari quartam aliquam ſpeciem eſſendi, eſſentialiter diſtinctam à cæteris tribus; imo quarta aliqua ſpecies eſſendi omnino videtur ſuperflua. Et quia omnia phœnomena in toto univerſo ſufficienter reſolvi poſſunt in tria hæc præmemorata tanquam in originarias ſuas propriaſque cauſas, nulla urget neceſſitas ulteriorem agnoſcere aliam, juxta hanc regulam: (quæ ſi recte intelligatur veriſſima eſt & certiſſima eſt) Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Porro cùm præmemorata tria exhauriant omnes differentias ſpecificas in ſubſtantia, quæ poſſibiliter à mente noſtra concipi poſſunt, adeoque his ipſis vaſtiſſima illa poſſibilitatis rerum infinitas adimpleatur: quomodo inveniri poterit locus vel ſpatium pro entitate quadam quarta, quinta, ſexta vel ſeptima? Quod autem tria hæc id præſtent, ſupra jam eſt demonſtratum. Nimirum quidquid ullatenus nominari

poteſt Ens, id vel omnino eſt immu-
e, & talis eſt Deus, Ens illud ſupre-
; Vel omnino eſt mutabile ad bonum
et. & ad malum; & hæc eſt creatura,
ſt entitas infima; vel partim eſt immu-
reſpectu mali ſcilicet, & partim mu-
reſpectu boni nimirum, quō ſpectat
tus Dei Filius, ens illud medium in-
eum & Creaturam. In quam Claſſem
educemus quartam aliquam entitatem,
intam, vel 6. & 7. &c. quæ nec ſit plahè
tabilis, nec plane mutabilis; nec partim
bilis, nec partim immutabilis: Præterea
ipponeret quartum aliquod ens, quoad
iam vel ſubſtantiam realiter diſtinctum
us præmemoratis, ille re ipſa deſtrue-
cellentiſſimum illum ordinem, quem
um univerſitate reperimus, nimirum
non tantum unum ſit medium inter
n & creaturas, ſed duo, 3. 4. 5. 6. quoſ-
ie ſupponi queant inter primum & ulti-
. Porro cum ſana ratione admodum
nit, adeoque etiam cum ordine re-
, quod ſicut Deus eſt unus, nec ha-
uas vel tres vel plures diſtinctas in ſeſe
ntias, & ſicut Chriſtus eſt unus ſim-
Chriſtus, nec plures in ſe habet diſtin-
ubſtantias, quatenus nimirum eſt ho-
xleſtis, ſive Adam omnium primus;
creatura, ſive tota creatio ſimilier
etiam ſic ſubſtantia vel eſſentia in ſua

ſpe-

ſpecie, quamvis multa comprehendat individua, in ſubordinatis ſpeciebus ſuis collocata, & modaliter quidem, ſed non quoad ſubſtantiam vel eſſentiam ab invicem diſtincta. Et ſic illud, quod Paulus dicit de homine, ſimiliter etiam intelligi poteſt de omnibus creaturis, (quæ in primitivo & originario ſuo ſtatu ſpecies quædam erant hominis ſecundùm excellentias ita dicti, prout in ſequentibus declarabitur,) nimirum quod Deus fecerit omnes nationes, vel creaturarum exercitus ex uno ſanguine. Et profecto eadem eſt hic utriuſque ratio: ſicut enim Deus omnes nationes hominum propterea ex uno faciebat ſanguine, ut omnes ſeſe invicem amarent, inque eadem ſympathia conſiſterent invicem, ſeſeque mutuo adjuvarent; ita Deus univerſalem quandam ſympathiam amoremque mutuum creaturis implantavit, ut quæ omnes membra ſunt unius corporis, omneſque (ut ita dicam) fratres, quibus unus eſt communis Pater Deus nempe in Chriſto, ſive λόγῳ incarnato; & ſic una quoque mater, unica nimirum illa ſubſtantia, ſive entitas, ex qua prodierunt, cujuſque reales partes ſunt & membra. Et quamvis peccatum in creaturis mirum in modum infirmaverit hunc amorem & ſympathiam, non tamen omnino eandem deſtruxit.

§. 5. Agnitis igitur tribus diſtinctis entita-

ɔus ſupradictis, nec pluribus, quæ
ɔo in ſe invicem ſunt inconvertibiles,
ɔ ambulabimus greſſu, in media veri-
via Entitatis erroribus & confuſioni-
ɔaximis, tam ad dextram, quam ad ſini-
. Primo enim quidam ſunt, qui unam
n ſtatuunt omnium rerum Entitatem,
s ipſi ſint partes propriæ & reales; & hi
m & creaturas confundunt, quaſi utra-
ɔæc notio una tantummodo ſit Eſſentia,
t peccatum & Diaboli nihil ſint aliud
ɔartes, vel ad minimum modificationes
ɔi iſtius entis; unde periculoſæ prona-
tur conſequentiæ. Quamvis non omni-
, qui ſine præcautione in hanc prolapſi
opinionem, id ſiniſtre interpretari velim;
Lectorem ſaltem moneam, ut, quo ejus-
di principia tendunt, melius conſideret,
umque abſurditatem evitet. Alii dein-
dantur, qui duas ſaltem ſtatuunt rerum
cies, Deum nempe, ſupremum illud pe-
usque immutabile Ens; & Creaturam,
infimum & omnino mutabile. Hi autem
n ſatis conſiderarunt excellentem illum,
i in rerum Univerſalitate occurrit, ordi-
m, ſupra a nobis deſcriptum; quia alias
ɔte obſervaſſent, quod præter duo hæc ex-
ɔma detur etiam medium quoddam, quod
ɔrticeps eſt utriuſque: & hic eſt Jeſus ille
hriſtus, quem non minus ſapientiores inter
ɔdæos quam aliqui etiam inter Gentiles ita

dictos agnoverunt, ſtatuentes nimirum, dari tale quoddam medium, quod illi diverſis appellarunt nominibus, qualia ſunt, Logos, Dei Filius, Primogenitus Dei; Mens, Sapientia, Adam cæleſtis &c. ita ut quidam eundem etiam appellent medium æternum.

Quæ, ſi recte conſiderentur, non parum conducent ad propagandam veram fidem, religionemque Chriſtianam, tam inter Judæos, quam Turcas, aliasque nationes infideles; ſi nimirum conſtet, quod rationibus non minus ſolidis, ac illæ ſunt, quibus probatur Deum eſſe & Creationem; probare etiam poſſumus Mediatorem eſſe inter Deum & homines, imo inter Deum & omnes creaturas: adeoque hi, qui tale Medium agnoscunt, inque illud credunt, dici poſſunt, quod vere credant in Jeſum Chriſtum, quamvis nondum noverint, nec adhuc ſint victi, illum veniſſe in carnem: quod ſi enim conceſſerint prius, indubitate eo deventuri ſunt, ut, ſi ingenuiſint, vel nolentes etiam poſterius agnoscant.

Alii porro ſunt, qui ſpecificas rerum Entitates in diſtinctis ſuis Eſſentiis & Eſſentialibus attributis quaſi in infinitum multiplicant; id quod omnino invertit egregium illum rerum ordinem, gloriamque divinorum attributorum inſigniter obfuſcat, ut in Creaturis debito ſplendore emicare nequeat: ſic enim quælibet in individuo Creatura tantopere

co-

angustatur, tamque arcte inter strictis-
nos propriæ suæ speciei limites includitur
que incarceratur, ut mutabilitas creatura-
m omnino tollatur è medio, nec ulla ad
teriorem perfectionem, majoremque di-
næ bonitatis participationem evehi, varie-
ie exercere & promoveri queat.

§. 6. Hæc omnia uno vel altero illustrabi-
us exemplo: Assumamus primo equum,
ii est creatura diversis perfectionum gradi-
is à creatore dotata, quales non solum sunt
bur corporis, sed & quædam, ut ita di-
m, notitia, quomodo inservire debeat
omino suo: præterea etiam animositas,
etus, amor, memoria & qualitates variæ
iæ, quæ in homine sunt, qualesque etiam
)servare possumus in cane, pluribusque
imalibus aliis. Cum ergo divina potentia,
)nitas & sapientia quamlibet Creaturam
eaverit bonam, & ita quidem, ut in mu-
bilate sua continuis augmentis ad bonum
ovehi queat in infinitum, unde gloria isto-
m attributorum magis semper magisque
ucescit: cumque hæc sit natura cujuslibet
reaturæ, ut sit in continua motione, sive
)eratione, quæ certissime ad ulterius tendit
)num, tanquam ad præmium & fructum
boris sui, nisi Creaturæ voluntaria trans-
ressione, abusuque indifferentiæ voluntatis
Deo ipsis concreatæ bonum illud impe-
iant. Jam quæro, ad quam ulteriorem

perfectionem gradumque bonitatis Entitas vel Eſſentia Equi pertingit, vel pertingere poteſt, poſtquam bona Domino ſuo præſtitit ſervitia, fecitque, quod ſuum fuit, talique creaturæ proprium eſt? Eſtne equus merâ machina mortuave materia? An vero aliquem in ſe habet ſpiritum, qui notitiam habeat & ſenſum & amorem & varia alia, quæ ſpiritui ſunt propria? ſi ergo talem habet, id quod omnino concedendum eſt, quid contingit huic ſpiritui, cum equus moritur? ſi dicetur illum redire in vitam, aliudque ſortiri corpus equi, ita ut equus fiat ut antea, qui equus fortior & pulchrior, & qui meliore polleat ſpiritu, quam antea; Optime! Si autem moriatur ſecunda, 3,4 vice, ſemperne equus manet, quamvis melior ſemper & excellentior, quo pluries ſpiritus ejus revolvitur? Jam quæro: an ſpecies equina tam infinitam in ſe habet perfectionem, ut equus melior ſemper meliorque fieri queat in infinitum, ita tamen ut equus ſemper maneat? nimirum communiter jam quaſi receptum eſt, viſibilem hanc terram non ſemper permanſuram in iſto ſtatu, quod optimis etiam rationibus confirmari poteſt: jam neceſſario ſequitur, quod continuata generatio animalium in craſſis iſtis corporibus etiam ſit ceſſatura. Si enim terra aliam aſſumat formam, nec gramen producat amplius, equi etiam & alia animalia talia animalia eſſe deſinerent,

qua-

qualia antehac erant; cumque non habeant alimentum ſuum proprium, permanere etiam eadem ſpecie non poſſunt. Et interim tamen non annihilantur, prout facile conjici poteſt; quomodo enim ulla res poterit annihilari? Cum bonitas Dei erga ſuas creaturas ſemper permaneat eadem, & conſervatio ſive continuatio creaturarum continuata ſit creatio; prout generaliter conceditur, & ſuperius jam demonſtratum eſt, quod Deus perpetuus ſit creator, agensque æque liberrimum ac maxime neceſſarium; Quod ſi autem regeratur, quod terra immutanda ſit, prout dictum eſt, fore tunc ut equi & cœtera animalia ſecundum ſuam proportionem pariter immutentur cum terra, & terra iisdem juxta eandem proportionem alimenta iterum producat pro mutata illorum conditione; tunc quæro: utrum ſemper permaneant eadem in ſpecie ſua ſub tali mutatione? An vero non inter ſtatum illum & ſtatum hunc aliqua futura ſit differentia, qualis, exempli gratia, eſt equi à vacca, quæ communiter agnoſcitur eſſe ſpecifica. Iterum autem quæro: an ſpecies creaturarum in infinitum aliæ ita præceilant alias, ut quidem individuum quoddam unius ſpeciei ſemper pergat in perfectione, magisque ad aliam ſpeciem appropinquet, nunquam tamen pertingere queat in illam ſpeciem? verbi gratia. Equus in plurimis appropinquat ad naturam ſpeciemque

hominis, magisque quam plurimæ creaturæ aliæ; An ergo natura hominis infinitis modis distat à natura Equi, an finitis tantum distat? si finita est hæc distantia, equus sane convertibilis tandem erit aliquatenus in hominem; (nimirum ipsius spiritus; de corpore enim res est liquida) si in infinitum distant, jam homini cui libet etiam qui viliſſimi & humillimi sit ingenii, tribuetur quædam infinita excellentia actu, qualis sola competit Deo & Christo, nulli autem creaturæ. Suprema enim creaturæ excellentia est in potentia tantum, non vero actu esse infinitum: id est, semper posse fieri perfectiorem & excellentiorem in infinitum, quamvis hoc in infinitum nunquam attingi queat: quantumcunque enim ens quoddam finitum progredi queat, id semper tamen finitum est, quamvis progressionis ejus nulli sint limites: Sicuti, ex. gr. si unquam possemus pervenire ad minimum æternitatis minutum similemve infinitæ durationis partem, illa sane non foret infinita sed finita.

Nec enim hoc ipso contradicimus iis, quæ dicta sunt cap. 3. de infinitate Creaturarum, illa enim non intelliguntur de infinita illarum bonitate & excellentia, sed tantum respectu multitudinis & magnitudinis, ita ut una non possit numerari vel altera mensurari ulla comprehensione creati intellectus. Individua tamen creaturarum semper sunt finite tantum bona,

a, & finite diſtantia, quoad ſpecies: po-
ialiter autem tantum ſunt infinita, id eſt,
per capacia ſunt ulterioris perfectionis ſi-
mni finis. Ut ſi ponatur ſcala quædam,
infinite ſit longa, gradusque in ſe habeat
nitos; gradus tamen non infinite à ſe di-
t invicem, alias nulla in eadem fieri poſ-
aſcenſio vel deſcenſio. Gradus autem in
exemplo varias ſignificat rerum ſpecies,
e non in infinitum à ſe diſtare poſſunt invi-
n, vel ab iis, qui ſibi proximi ſunt, Imo
otidiana nos docet experientia, quod va-
rum rerum ſpecies in ſe invicem mutentur,
terra in aquam, aqua in aërem, aër in
nem ſive æthera, & vice verſa ignis in
rem, aër in aquam &c. quæ tamen ſunt
ſtinctæ rerum ſpecies. Et ſic etiam lapides
tantur in metalla, unumque metallum in
iud. Ne autem quis dicat, hæc nuda
ntum eſte corpora, nullumque habere ſpi-
tum, idem obſervabimus non tantum in
egetabilibus, ſed & in animalibus: prout
iticum & far in ſe invicem ſunt convertibilia
& ſæpe de facto ita convertuntur, quod
Oeconomis haud eſt ignotum in pluribus
rovinciis; in ſpecie autem in Hungaria,
i far ſeminatur, triticum creſcit: in aliis
autem locis ſterilioribus, & quidem ſpeci-
liter in erucoſis, qualia in Germania repe-
iuntur, triticum ſi ſeminatur, far procreſ-

cit, & far aliis in locis merum fit gramen. In animalibus autem vermes mutantur in muſcas & beſtiæ atque piſces comedentes piſces atque beſtias alius ſpeciei, iſta mutant in ſuam naturam & ſpeciem, Et nonne etiam natura putrida, ſive corpus terræ & aquæ producit animalia ſine ullo ſemine horum animalium prævio? Et nonne in creatione hujus mundi aquæ ad mandatum Dei producebant piſces et aves? Nonne etiam terra ad idem mandatum proferebat reptilia atque beſtias, quæ propterea reales erant terræ et aquæ partes? Et ſicut corpora ſua habebant ex terra, ita ex eadem ſuos etiam habebant ſpiritus, ſive animas. Terra enim producebat animas viventes, prout textus Hebræus loquitur, non autem corporeas tantummodo figuras, vita carentes & anima. Quare differentia occurrit maxime notabilis inter creaturam hominis & brutorum. De homine enim dicitur: Deus illum faciebat ad imaginem ſuam, & inſpirabat in illum ſpiraculum vitarum, fiebatque anima vivens: ita ut homo vitam ſuam, principalem illius partem; qua homo eſt, quæ realiter eſt diſtincta à Divina illa anima vel ſpiritu, quam Deus ipſi etiam inſpiravit.

Cum autem corpus hominis fieret è terra, quæ, ut probatum eſt, varios in ſe habebat ſpiritus, ſpiritulque dabat omnibus brutis; ho-

mini ſane procul dubio tradidit ſpiritus op-
nos et excellentiſſimos, quos contineret.
d omnes iſti ſpiritus ſpecies erant longe
ferior, reſpectu ſpiritus hominis, quem
ſuper accipiebat, & non à terra: Spiritus-
e hominis debuiſſet habere dominium ſu-
r iſtos ſpiritus, qui omnes tantum erant
rreni, ita ut illos ſibi ſubjeciſſet, adeoque
ſublimiorem elevaſſet gradum, nimirum
propriam ſuam naturam, idque ſuiſſet
riſſima ipſius multiplicatio & incremen-
m. Pro his omnibus autem ipſe admitte-
t, ut ſpiritus terreni in ipſo exiſtentes,
minium acquirerent ſuper illum, ita ut illis
adéret ſimilis; quare dicitur: Terra es,
in terram reverteris: quod non minus ſpi-
tualem, quam literalem habet ſignificati-
iem.

§. 7. Jam videmus, quomodo Juſtitia
ei tam glorioſe eluceſcat in hac tranſmuta-
one rerum ab una ſpecie in aliam; quod
im ſit juſtitia quædam, quæ non ſolum in
ominibus & Angelis operetur, ſed in omni-
is creaturis, certiſſimum eſt; quique iſtud
n obſervat, cæcus omnino dicendus eſt.
æc autem juſtitia tam in aſcenſu creatura-
m apparet, quam in earum deſcenſu,
eſt, cum commutantur in melius & cum
deterius. Cum in melius abeant, juſtitia
æc præmium diſtribuit, fructumque bene-

factorum ſuorum; cum in deterius, eadem ipſos punit pœnis debitis, ſecundum naturam gradumve tranſgreſſionis. Eademque juſtitia legem de tulit omnibus creaturis, eamque ipſis illarum naturis inſcripſit: Et quæcunque creatura hanc legem tranſgreditur, illa propterea punitur; quæ vero eandem obſervat, eidem ſuum eſt præmium, ut evadat melior.

Ita ſub lege quam Deus Judæis dederat, ſi beſtia occideret hominem, beſtia occidenda erat; & de manu cujuſlibet beſtiæ requirenda dicitur vita hominis Gen. 9:5. Et ſi quis cum beſtia rem habuiſſet, non vir tantùm, ſed & beſtia occidenda erat; ita non tantum mulier & maritus ejus poſt tranſgreſſionem ſuam á Deo recipiebant ſententiam atque pœnam; ſed & ſerpens, quæ erat pars brutalis in homine, quam à terra acceperat. Eundemque juſtitiæ inſtinctum Deus etiam homini indidit erga beſtias & arbores agri: quicunque enim vir juſtus eſt atque bonus, ille bruta ſua animalia amat, quæ ipſi ſerviunt, curamque ipſorum gerit, ut alimentum ſuum habeant & quietem, & ſi quæ ipſis deſunt alia; eaque non ſaltem facit in proprium ſuum commodum, ſed è principio veræ juſtitiæ; ſique tam crudelis ſit erga ipſa, ut operam ab ipſis requirat, & neceſſaria tamen iiſdem alimenta non præbeat, tunc iſtam ſane legem tranſ-

ınſgrederetur, quam Deus cordi ſuo in-
ripſit: ſique etiam aliqua ex illis occidat
voluptati ſuæ tantum ſatisfaciat, injuſte
it, eademque menſura iterum menſurabi-
r ipſi. Sic homo, qui arborem quandam
ıbuit in pomario ſuo, quæ fructifera eſt,
:neque creſcit, fimum ipſi ſubminiſtrat,
ıundatque eundem, ut melior meliorque
'ädat; ſi veró ſterilis ſit, fundoque oneri
t, ſecuri ipſam proſternit & igne combu-
t. Adeoque juſtitia quædam eſt in omnibus
iſce, ita ut in omnibus rerum tranſmuta-
onibus ab una ſpecie in aliam, ſive aſcen-
:ndo ab ignobiliori ad nobilius, ſive de-
:endendo in contrarium, eadem reperiatur
ıſtitia. Nonne enim, exempli cauſa, ju-
:um eſt, ſi homo quidam hac in terra vitam
gat puram atque ſanctam, Angeliſque cœ-
eſtibus ſimilem, ut poſt mortem eleverur
d Angelicam dignitatem, iiſdemque eva-
lat ſimilis, cum ſuper eo etiam Angeli gau-
leant. Si autem homo in hac terra tam im-
›ie vivat & perverſe, ut ſimilior ſit Diabo-
o ab inferis excitato, quam ulli creaturæ
ılii: ſi in tali ſtatu abſque pœnitentia moria-
ur, nonne eadem juſtitia eundem deorſum
›ræcipitat ad inferos. Et nonne tales merito
:vadunt ſimiles diabolis, prout qui Angeli-
:am agebant vitam, æquales fiunt Angelis?
Jam autem ſi quidam in terra nec Angelicam

vixit vitam, nec diabolicam, ſed brutalem ſaltem ſive animalem, ita ut ſpiritus ejus ſimilior ſit ſpiritui beſtiarum, quam rebus ullis aliis, nonne eadem juſtitia quam juſtiſſime id agit, ut ſicut ille factus eſt brutum quoad ſpiritum, dum brutali parti & ſpiritui in ſe relinqueret dominium in partem ſuam excellentiorem; idem etiam (ad minimum quoad externam formam) in figura corporea mutetur in iſtam beſtiarum ſpeciem, cui ſimillimus fuit intrinſecus quoad qualitates & conditiones mentis? Cumque brutalis ille ſpiritus nunc ſuperior in ipſo ſit & prædominans, & ſpiritum alterum teneat captivum, nonne veriſimile eſt, cum talis homo moritur, ut ille idem ſpiritus brutalis ſemper in illo dominium habeat, animamque humanam ſecum abripiat quaquaverſum, eamque cogat, ut ſibi ſerviat? Cumque prædictus ille brutalis ſpiritus iterum in corpus aliquod revertitur, jamque dominium in illud corpus habet, ita ut facultas ejus Plaſtica libertatem habeat formandi corpus, juxta ſuam ideam atque inclinationem (quam antea in corpore humano non habebat) neceſſario ſane ſequitur, corpus illud, quod ſpiritus ille vitalis effigurat, futurum eſſe brutale, & non humanum; brutalis enim ſpiritus figuram aliam producere & efformare non poteſt, quia

vis

s ejus Plaſtica gubernatur ab ipſius ima-
natione, quæ quam fortiſſimè ſibi ima-
natur ſive concipit propriam ſuam ima-
nem, quam propterea corpus externum ne-
ſſario aſſumere oportet.

§. 8. Hac ratione juſtititia Dei mirabili-
r elucet, dum ſingulis ſpeciebus atque
adibus transgreſſionum debitas ſuas pro-
iaſque aſſignat pœnas, neque ignem infer-
lem pœnamque diabolis debitas ſingulis
:ccatis vel tranſgreſſionibus adjudicat:
hriſtus enim contrarium docuit in
arabola illa, ubi oſtendit tertium ſaltem
radum pœnæ ſubmitti gehennali, ſi nimi-
ım temere fratri ſuo quis dixerit: Stulte!

Quid hîc objici poteſt contra juſtitiam
)ei? ſi dicatur nimis diminui & dehone-
ari dignitatem & nobilitatem naturæ hu-
nanæ, cùm ſtatuitur illam quoad animam
: corpus convertibilem eſſe in naturam
ruti: Ad hoc reſpondetur, quod juxta com-
nune axioma corruptio optimi ſit peſſima.
Cùm enim homo voluntaria ſua tranſgreſ-
ione tantopere deturpavit, inque deteriorem
:atum deduxit naturam ſuam, quæ tam no-
ilis fuerat, eademque intrinſecus inque
iritu evileſcere potuit in immundiſſimum
rutum vel animal, ita ut concupiſcentiis
:rreniſque deſideriis tantopere ſubſit, quam
lla beſtia, imo omni beſtia fiat pejor,

quæ-

quænam hæc erit injuſtitia, ſi Deus etiam extrinſecus gerere eundem curet in ipſo corpore imaginem illius ſpiritus, in quem ipſe intrinſecus ſemet transformavit? vel quamnam pejorem putas eſſe degenerationem, imaginem beſtiæ in ſpiritu gerere an in corpore? Certè omninò dicendum eſt in ſpiritu ſimilem eſſe bruto, longè maximam eſſe degenerationem; & nemo facile erit, cui vera animæ nobilitas innotuit, qui non fateatur, bruto ſimilem eſſe intrinſecus, pejus quidem eſſe, quam eidem ſimilem eſſe extrinſecus. Unum etenim cum ipſo eſſe quoad ſpiritum, longe deterius eſt, quam unum cum ipſo eſſe in externa forma & figura corporis: Si autem quis dicat; pœnam hanc nimis eſſe lenem pro homine quodam, qui brutalem vixit vitam, per omne dierum ſuorum tempus, ſi poſt mortem ſuam ſaltem revertatur ſub conditione ſtatuque beſtiæ cujuſdam: Is ſciat, juſtiſſimum Creatorem, factoremque rerum omnium ſapientiorem eſſe ipſo, meliusque noſſe, quæ pœna ſingulis peccatis debeatur, qui etiam quam juſtiſſime & ſapientiſſime omnia ita diſpoſuit, ut nemo carnaliter vivens & beſtiarum more, intrare poſſit in regnum cælorum. Atque ſic etiam doctrina Chriſti expreſſe nos informat, quod non omnia peccata pœna gehennæ punien-

nienda ſint ; quodque ubi theſaurus eſt, ibidem & cor ſit, ſpirituſque hominis ; item ſi homo uniatur copuleturque cum re aliqua, quod ille cum eadem re fiat unum quid, quodque qui adhæret Domino, unus cum eo ſit ſpiritus : quique adhæret ſcorto, cum eodem una ſit caro. Cur ergo qui cum beſtia unitus eſt, non ex eadem ratione unum fieret cum beſtia ? & ſic in reliquis caſibus omnibus : cui enim ſe aliquis ſubmittit ad obedientiam, illius ſervus eſt idem, quatenus eidem obedit ; prout Scriptura loquitur. Præterea etiam dictum eſt : Quacunque menſura menſurabitis, eadem menſurabitur vobis ; quaſi diceretur : Omnes gradus ſpecieſque peccati pœnas habent congruas, Omneſque iſtæ pœnæ in commodum creaturarum tendunt, ita ut gratia prævaleat judicio, & judicium convertatur in victoriam ad ſalvandam & reſtaurandam creaturam. Gratia enim Dei cùm ſuper omne opus ejus extendatur, cur opinemur Deum ſeveriorem & rigidiorem Creaturarum ſuarum eſſe Cenſorem, quam revera eſt ? Cum iſtud attributorum Dei gloriam mirum in modum offuſcet & obumbret, nec amorem erga Deum, prout fieri debebat, & admirationem bonitatis & juſtitiæ ejus in cordibus hominum progeneret, ſed plane contrarium.

§. 9.

§. 9. Communis enim illa de juſtitia Dei notio, quod unumquodque peccatum quantumcunque illud fuerit, igne puniatur infernali, iſtudque ſine omni fine, horribilem de Deo in hominibus progeneravit ideam, quaſi nimirum crudelis potius eſſet Tyrannus, quam benignus pater erga omnes ſuas creaturas. Si autem amabilis illa Dei imago hominibus magis innoteſceret, qualis nempe ipſe revera eſt, & ſe ipſum in omnibus diſpenſationibus ſuis manifeſtat creaturis; ſique anima noſtra intrinſeco ipſum ſenſu guſtuque agnoſceret, prout nimirum idem charitas eſt & benignitas ipſa, qualem intrinſecus ipſe ſemet revelat per lumen & ſpiritum Jeſu Chriſti Domini noſtri in cordibus hominum; tunc demum & non prius homines Deum amarent ſupra omnia, & agnoſcerent ipſum quam maxime eſſe amabilem, juſtumque & miſericordem & adorabilem præ omnibus: quique non omnes peccatores æquali pœna afficere queat.

§. 10. Atque ſic etiam, cur ille mundum primævum undis everrebat, & conſtituit hunc mundum igne delere, qualis erat Sodomorum? nimirum ut oſtenderet ſe diverſis pœnarum ſpeciebus uti, pro diverſis ſpeciebus peccatorum; mundumque priſtinum pravum quidem fuiſſe, pejorem ta-

tamen fore illum, qui igne deſtruendus eſt, quique propterea majus habiturus eſt judicium. Diverſæ autem hæ naturæ iſtarum tranſgreſſionum, quibus diverſæ hæ paratæ ſunt pœnæ, in hoc conſiſtere videntur; quod peccata mundi veteris magis fuerint carnalia & brutalia, prout & verbum Dei hoc indigitat, cùm dicit: Spiritus meus non ſemper litigabit in homine, quia factus eſt caro; id eſt, perfecte brutalis ſive beſtialis factus eſt, obediendo deſideriis carnis: ita ut niſi illa generatio exciſa fuiſſet, totum illud humanum genus (excepto Noa & familia ejus) in ſubſequente generatione futurum fuiſſet beſtiale, cui malo Deus provenire volebat, ſuffocando eoſdem undis, ita ut hac pœna in naturam hominum reducerentur à natura brutali: Peccata autem hujus mundi, qui igne deſtruendus eſt, Sodomorum inſtar, videntur ſua natura ſimiliora eſſe peccatis diabolorum, quam rei cuidam alii: nimirum ratione hoſtilitatis, malitiæ, crudelitatis & fraudis atque aſtutiæ: & propterea propria illorum pœna ignis eſt, qui etiam eſt originale principium ſpirituum tam nobilium tantopere degeneratorum, ut merito eodem reſtaurari & degenerari debeant.

Quid enim eſt ignis, quàm ſpecies quædam ſubſtantiæ æthereæ imperfectæ corporibus combuſtibilibus incluſæ, prout eundem

dem ſemper aſcendere videmus, & propter inſignem ſuam tenuitatem immediate evaneſcere, è qua ætherea ſubſtantia tam Angeli quàm homines, quoad ſpiritus ſuos, ſuam habent originem, ſicut natura brutalis originem ſuam habet ex aqua.

Sicut autem omnes pœnæ à Deo creaturis ſuis inflictæ, proportionem aliquam habent, cum peccatis ſuis, ita eędem omnes, ne peſſimis quidem exceptis, in bonum ipſarum atque reſtaurationem tendunt, adeoque medicinales ſunt, ut iiſdem curentur morboſæ hæ creaturæ, inque meliorem conditionem reſtituantur, quam prius haberent.

§. 11. Jamque etiam paululum examinemus, quomodo quælibet creatura ſit compoſita, & quomodo partes compoſitionis hujus in ſe invicem converti poſſint, eo quod originaliter unam & eandem habeant eſſentiam vel entitatem.

In qualibet viſibili creatura corpus eſt & ſpiritus, ſive principium magis activum & magis paſſivum; quæ commode appellari poſſunt mas & fœmina propter illam, quam cum marito & uxore habent analogiam. Sicut enim ordinaria hominum generatio maris & fœminæ requirit conjunctionem & cooperationem; ſic omnes etiam generationes & productiones, qualeſcun-

cunque illæ demum fuerint unionem requirunt & ſimultaneam operationem duorum iſtorum principiorum, ſpiritus nempe & corporis. Spiritus autem lux eſt, ſive oculus contemplans propriam ſuam imaginem, & corpus caligo eſt, iſtamque imaginem recipit, quando ſpiritus in illud reſpicit, ſicut quis ſeipſum in ſpeculo intuetur, is ſane eodem modo conſpicere ſemet non poteſt in aëre pellucido, nec in ullo corpore diaphano, quoniam reflexio imaginis certam quandam requirit opacitatem, quæ nobis corpus dicitur. Hæc tamen non eſt eſſentialis proprietas alicujus rei, ut ſit corpus; ſicut nec proprium ejus eſt, ut ſit tenebroſa. Nihil enim tam eſt tenebroſum, quod non fieri queat luminoſum, imo tenebræ ipſæ fieri poſſunt lumen. Sicut lux quæ creata eſt, converti poteſt in tenebras, ut verba Chriſti pleniſſime evincunt, dum inquit: Si lux, quæ in te eſt, ſit caligo &c. ubi oculum ſive ſpiritum, qui in corpore eſt, intelligit, qui imaginem alicujus rei videt. Sicut ergo quiliber ſpiritus opus habet corpore, ut recipiat & reflectat imaginem ſuam: ita corpore etiam opus habet, ut eandem retineat; quodlibet enim corpus naturam hanc retentivam vel magis vel minus in ſe habet, quoque perfectius eſt corpus aliquod, id eſt magis per-

perfecte mixtum, eo magis est retentivum. Sic aqua magis est retentiva quam aër, & terra magis est retentiva quarundam rerum, quam aqua. Semen autem creaturæ fœmininæ ob mixturam suam tam perfectam, eo quod purissima sit extractio totius corporis, insignem habet retentionem. Inque hoc semine, tanquam in corpore, semen masculi, quod spiritus est & imago masculi, recipitur & retinetur insimul cum spiritibus aliis qui sunt in fœmina. Quicunque ergo spiritus tunc est fortissimus, & fortissimam habet imaginem sive ideam in semine, sive masculinus sit, sive fœmininus, sive ullus spiritus alius ab alterutro horum forinsecus receptus, ille spiritus prædominans est in semine, corpusque format quam proxime secundum imaginem suam, atque sic quælibet creatura formam accipit externam: Eodemque modo internæ etiam productiones mentis, nimirum cogitationes quæ veræ etiam sunt creaturæ secundum speciem suam, veramque habent substantiam sibi propriam progenerantur, suntque liberi nostri interni, omnesque sunt masculi & feminæ, id est, corpus habent & spiritum: si enim corpus non haberent, retineri non possent, nec reflectere possimus ad propria nostra cogitata. Omnis enim reflexio fit per caliginem quandam, at-

atque hoc eſt corpus. Ita memoria requirit corpus, ut retineat Spiritum rei cogitatæ, alias evaneſcit ; ſicut imago in ſpeculo, quæ mox evaneſcit , objecto remoto. Atque ſic cum reminiſcimur alicujus , illius imaginem in nobis videmus, quæ eſt ſpiritus , qui ab ipſo proceſſit , dum ab extra eundem conſpeximus : quæ imago vel ſpiritus retinetur in corpore aliquo , quod eſt ſemen cerebri noſtri : & inde fit ſpiritualis generatio quædam in nobis. Et ſic omnis ſpiritus ſuum habet corpus , & omne corpus ſuum ſpiritum : & ſicut corpus, videlicet hominis vel beſtiæ , nihil eſt aliud , quam innumerabilis multitudo corporum , ſimul in unum compactorum , inque certum ordinem diſpoſitorum : ita ſpiritus hominis vel bruti ſimiliter eſt innumerabilis quædam multitudo ſpirituum ſimul unitorum in hoc corpore , qui etiam ſuum habent ordinem atque regimen, ita ut unus primarius ſit regens , alter locum tenens, alius aliud quoddam ſub ſe regimen habeat , & ſic per totum , prout in exercitu militari fieri ſolet. Quapropter creaturæ vocantur exercitus, & Deus Dominus exercituum , & ſicut Diabolus, qui obſidebat hominem illum , vocabatur Legion, quia ipſorum erant multi ; ita quivis homo, imo quælibet creatura conſiſtit è multis ſpiriti-

ribus & corporibus (*Plures hi, qui in homine existunt, Spiritus, Hebræis dicuntur Nizzuzoth, sive scintillæ vid. in Kabb. denudat. tom. II. part. 2. tract. de revolution. animarum cap. 2. & seqq. p. 256--268. &c.*) Et revera quodlibet corpus est spiritus & nihil aliud, nihilque differt à spiritu, nisi quod magis sit tenebrosum: Quo crassius ergo illud fit, eo magis spiritus à gradu removetur, adeo ut distinctio hic tantum sit modalis & gradualis, non essentialis vel substantialis.

CAPUT VII.

§. I. *Quodlibet corpus converti posse in spiritum, & spiritus in corpus, eo quod distinctio corporis & spiritus in modo tantum sit, & non in essentia. Ratio hujus prima sumitur ab ordine rerum supradicto, qui in tribus tantum consistit; quodque etiam creaturarum pessimæ, imò dirissimi Damones post multa & longa tormenta atque pœnas tandem redituri sint in bonitatem. Porrò quod omnis ista crassitudo & durities corporum extiterit à lapsu quodam, qua*

quæ propterea reverſura ſint in ſtatum ſubtilitatis & mollitiei. §. 2. Ratio ſecunda deſumta eſt a divinis attributis, quorum aliqua communicabilia ſunt omnibus ejus creaturis. §. 3. Ratio 3. deſumitur ab amore, quem ſpiritus habent erga corpora. §. 4. Quod penetrabile & indiſcerptibile eſſe, tam realiter competat corporibus, quàm ſpiritibus, & impenetrabile & diſcerptibile tam vere ſpiritibus tribuatur, quam corporibus, eò quòd differentia tantum ſit gradualis & non eſſentialis, quodque nulla creatura ſive creatus ſpiritus intime poſſit eſſe præſens in ulla creatura alia, quia intima præſentia ad Deum tantum pertinet & Chriſtum, & propterea Philoſophica illa penetratio creatorum ſpirituum reſpectu corporum merum ſit Scholaſticorum figmentum.

UT autem hoc paulo clarius demonſtrem, nimirum quodlibet corpus vitam quandam eſſe in ſua natura, vel ſpiritum, idemque eſſe principium percipiens, ſenſum habens & cognitionem, amoremque

que & desiderium, gaudiumque & dolorem, prout aliter vel aliter affectum sit, & per consequens illud habere activitatem & motum per se, ita ut se ipsum illuc recipere possit, ubicunque esse desideret; In sua, dico, natura, prout originaliter creatum fuit, & prout iterum futurum est, cum reductum erit ad statum suum primævum, liberatumque ab ista confusione & vanitate, cui subjectum est propter peccatum: rationes adducam subsequentes: (*De natura materiæ & spiritus plura videri possunt in Kabbal. denud. Tom. 1. part. 2. p. 308. usque ad 312, & Tom. II. Tract. ult. pag. 6. 28. 29. 32.*

§. 1. Prima harum erit à prædicto rerum ordine, quas jamjam probavi, tres tantum esse: Deum nempe supremo, Christum medio, & Creaturam infimo omnium ordine; Quę creatura una saltem est Entitas vel substantia quoad naturam sive essentiam suam, ut supra demonstratum est, ita ut solummodo varier secundum modos existendi, interquos unus etiam est corporeitas; cujus plures etiam sunt gradus, ita ut res aliqua magis minusve accedere queat, vel recedere à conditione & statu corporis vel spiritus? Quia autem spiritus inter hæc duo excellentior est in vero naturalique rerum ordine, & quo magis creatura quædam

dam eſt ſpiritus, ſi ſaltem non aliis modis degeneret, eo propius ad Deum accedit, qui ſupremus eſt ſpiritus; Hinc corpus ſemper magis fieri poteſt magiſque ſpiritualius in infinitum, quoniam Deus, qui primus eſt & ſupremus ſpiritus, eſt infinitus, nihilque participat nec participare poteſt de corporeitate vel minima; unde hæc eſt creaturæ natura, niſi degeneraverit, ut ſemper magis magisque accedat in ſimilitudine ad Creatorem. Sed quia nullum datur Ens, quod omnibus modis ſit contrarium Deo, (nulla videlicet datur res, quæ in infinitum & immutabiliter mala eſt, ſicut Deus in infinitum & immutabiliter bonus eſt; nihilque datur, quod ſit infinite tenebroſum, ſicut Deus eſt infinita Lux, nec aliquid eſt infinite corpus, nihil habens de ſpiritu, ſicut Deus eſt infinite ſpiritus, nihil habens de corpore) hinc manifeſtum eſt, nullam creaturam magis magiſque fieri poſſe corpus in infinitum, quamvis eadem poſſit fieri magis magiſque ſpiritus in infinitum: nihilque fieri poteſt magis magiſque caligo in infinitum, quamvis fieri poſſit magis magiſque luminoſum in infinitum: & ex eadem ratione nihil eſſe poteſt malum in infinitum, quamvis fieri poſſit magis magiſque bonum in infinitum; Atque ſic in ipſa rerum natura malo quidem ſunt limites, nulli autem

bono, eodemque modo quilibet gradus mali ſive peccati poenam ſuam doloremque & caſtigationem in ipſa rei natura ſibi habet annexam, per quam malum iterum mutatur in bonum: quæ poena ſive caſtigatio, quamvis non ſtatim percipiatur à creatura, quando peccat, attamen aſſervatur in illis ipſis peccatis, quæ eadem committit, debitoque ſuo tempore apparitura eſt; atque tunc quodlibet peccatum ſuam habebit poenam; dolorque & caſtigatio propterea ſentietur à Creatura, perque illam Creatura iterum convertetur in priſtinum ſuum ſtatum bonitatis, in quo creata erat, à quo non amplius elabi poterit, quia per magnam ſuam caſtigationem majorem acquiſivit perfectionem atque robur, adeoque ex illa voluntatis indifferentia, quam olim habuerat ad bonum vel malum, aſcendit eouſque, ut ſolummodo velit bonum, nec amplius capax ſit ut velit aliquod malum. *vid. Kabb. denud. Tom. II. Tract. ult. p.* 61. §. 9. *p.* 69. §. 21. *&* 70. §. 5. *& ibidem Tract.* 2. *p.* 157.

Atque hinc poſſet inferri, quod omnes creaturæ Dei, quæ antea ſunt lapſæ, & á primitiva ſua bonitate degenerarunt, poſt certas periodos convertendæ ſint & reſtituendæ ſint in ſtatum non ſaltem tam bonum, quam ille, in quo creatæ erant, ſed in meliorem. Divina enim operatio ceſſare nequit.

At-

Atque hinc natura cujuslibet creaturæ hæc eſt, ut ſemper ſit in motu, ſemperque mutetur à bono in bonum, vel è bono in malum, vel è malo iterum in bonum. Et quia non poteſt in infinitum procedere ad malum, eo, quod iſtius non detur exemplar infinitum, hinc neceſſario eandem reverti oportet, vel prolabi in æternum ſilentium, quod naturæ ipſius contrarium eſt, ſi autem quis dicat, eam prolabi in æterna tormenta, reſpondeo: ſi per æternum intelligas infinitatem ſeculorum, quæ nunquam ſint ceſſatura, id eſſe impoſſibile; quia omnis dolor atque tormentum vitam ſive ſpiritum excitat operantem in qualibet re, quæ patitur; prout videmus per continuatam experientiam, & ratio nos docet, quod id neceſſario ſic fieri oporteat, quia per dolorem ejusque tolerationem, quæcunque groſſities vel craſſitudo à ſpiritu vel corpore contracta, attenuatur, adeoque ſpiritus in iſta groſſitie vel craſſitudine captivatus in libertatem ponitur, magiſque fit ſpiritualis, & conſequenter magis activus & operativus per dolorem.

Cum ergo Creatura infinite procedere nequeat ad malum, nec labi etiam in inactivitatem vel ſilentium: nec tamen etiam in meram æternam paſſionem; irrefragabiliter ſequitur, quod illam tandem redire oporteat

ad bonum: quoque majores ſunt paſſiones ejus, eò citius illa ſit reverſura & reſtituenda. Atque ſic videmus, quomodo res quædam, eadem ſemper manens ſubſtantia, mirabiliter poſſit mutari reſpectu modorum ſuorum eſſendi, ita ut ſpiritus quidam ſanctus atque beatus, ſive Angelus Lucis per voluntariam ſuam actionem fieri poſſit ſpiritus malus, tenebrarum atque maledictus, quæ ſane mutatio ſive metamorphoſis tam eſt magna, quam ſi ſpiritus mutetur in corpus. Sique hic quæratur, utrum iſti ſpiritus per ſuam tranſgreſſionem magis facti fuerint corporei, quam antea eſſent in primitivo ſuo ſtatu, antequam laberentur? Reſpondeo, quod ſic: ſed quia, prout jam oſtendi, ſpiritus corporeitatis capax eſt, ſecundum majus & minus, quamvis non infinite, pluribus tamen gradibus: hinc longis ævorum periodis manere potuerunt, ut nihil haberent de tali corporis craſſitie, qualem res hic habent in mundo hoc viſibili, ut ſunt duri lapides, vel metalla, vel corpora virorum & mulierum. Certe enim peſſimorum ſpirituum corpora talem non habent craſſitiem, qualem habet ullum corpus viſibile: Et tamen omnis illa craſſitudo viſibilium corporum provenit è lapſu ſpirituum à primo ſuo ſtatu: atque iſtam groſſitiem propterea ſpiritus poſt longas variaſque periodos ſibi ipſis con-

contrahere poſſunt, quamvis ſimul & ſemel in univerſam groſſitiem non poſſint incidere, ita ut totum corpus ſpiritus cujuſdam lapſi in omnibus ſuis partibus æqualiter craſſum eſſe poſſit; ſed aliquæ partes groſſiores fiunt atque groſſiores, & reliquæ hujus ſpiritus partes corporeæ (quæ ſunt immediatum ejus vehiculum, cumque quibus ipſe quam intime eſt unitus) quandam retinent tenuitatem, ſine qua ſpiritus non poſſet eſſe tam activus & mobilis ſicut alias; cumque iſtis ſubtilioribus & tenuioribus partibus corporis ſpiritus principalis (una cum ſpiritibus ſuis miniſtrantibus, quotcunque iſtorum ullatenus colligere poſſit) excedit ex iſtis craſſioribus partibus corporis, quas deſerit, ceu totidem cadavera mortua, quæ non amplius apta ſint, ut prædictis ſpiritibus ſerviant in operationibus illis, quibus in præſenti ſuo ſtatu occupantur.

Et hunc exceſſum ſubtiliorum & fortiorum ſpirituum è partibus groſſioribus & durioribus corporis in meliores ac tenuiores videmus in liquore aliquo ſpirituoſo, qui in magno rigore congelatur, ubi ſpiritus fortiores (relictis partibus durioribus, quæ forinſecus ſunt & frigori maxime exponuntur) ſemet recipiunt in mediam corporis partem, quæ ſemper eſt tenuis, ita ut unica gutta illius liquoris, (qui non congelatur,

ſed liquidus ſemper manet in intimis partibus corporis congelati) in ſe habet robur multiplicatum de omnibus illis partibus, quæ ſunt congelatæ. Ita conſideranda nobis eſt duplex groſſities & durities corporum, una viſibilis externis noſtris ſenſibus atque palpabilis; altera inviſibilis & impalpabilis, quæ tamen revera tam groſſa eſt, quam altera, imo ſæpe groſſior atque durior, quod & intrinſecus per ſenſus nempe interiores realiter poteſt percipi, quamvis ſenſus externi illud non attingant. Inviſibilis ergo & impalpabilis groſſities vel durities eſt illa, quæ propria eſt illis corporibus, quæ tam ſunt exigua, ut externi noſtri ſenſus illa percipere nequeant: cum tamen realiter admodùm ſint dura, imo duriora quovis ſilice vel metallo, quæ manibus noſtris palpari poſſunt. Eque corporibus hiſce parvis atque duris aque viſibiles plurimum ſunt compoſitæ, quamvis nobis appareant admodùm molles, fluidæ & tenues, propter ſubtilia quædam corpora alia copioſiora, quæ continue agitant & movent prædictas particulas duras, ita ut aqua craſſis noſtris ſenſibus videatur res una eſſe homogenea, ſimplex & uniformis; cum tamen conſtat è multis partibus heterogeneis & diſſimilaribus magis quam corpora alia plurima: Multæque ſtarum partium admodum ſunt duræ & lapi-

pideæ, unde provenit ſabulum bulliens, omneſque arenulæ aliæ atque lapides, qui originem & nativitatem ſuam habent ex aquis, è profundo terræ provenientibus: Et cum parvuli hi lapides, ſive particulæ aquæ calculoſæ excreſcunt in arenam viſibilem & lapides, eædem poſt aliquod tempus iterum amittunt hanc duritiem, evaduntque molliores & tenuiores, quam cum ad undas pertinerent; Lapides enim putreſcunt & convertuntur in terram mollem, & ex hac proveniunt animalia. Sic etiam lapides putreſcentes ſœpe iterum fiunt aqua, hæc autem aqua alius eſt ſpeciei, quam prior: una enim eſt petrificans, altera mollificans, ſicut obſervatum eſt ex uno eodemque monte in Helvetia duas aquarum ſpecies profluere, quarum una ſi bibatur, calculum generat, altera autem proprium contra eum eſt remedium; ita ut una aqua mutetur in lapidem, & altera aqua proveniat ex iſto lapide, quando in corruptione eſt, adeoque priſtinam ſuam duritiem amittit & immutat. Atque ex his, quæ dicta ſunt, facilius intelligi poteſt, quomodo cor vel ſpiritus hominis impii durum eſſe dicatur & lapideum, quia revera ſpiritus ejus realem in ſe habet duritiem, qualis in parvis illis & lapideis particulis quarundam aquarum reperitur; cum è contrario ſpiritus viri boni molles ſint

atque teneri; quam internam duritiem & mollitiem ſpirituum etiam realiter ſentire poſſumus, eamque tam ſensibiliter percipit quilibet vir bonus, quam externa duricies craſſorum corporum externorum ſentitur tactu externo. Qui autem mortui ſunt in peccatis ſuis, hunc ſenſum non habent duritiei vel mollitiei bonorum vel malorum ſpirituum, & propterea phraſes has tantum vocant metaphoricas, cum tamen res omnino ſic ſe habeat & ſenſu proprio, idque ſine ulla figura.

§. 2. Secundam rationem, quod ſpiritus creati convertibiles ſint in corpora, & corpora in ſpiritus, deducam è ſeria debitaque conſideratione divinorum attributorum, ex quibus tanquam ex Gazophylacio inſtructiſſimo manifeſtari poteſt omnium rerum veritas. Cum enim Deus ſit infinite bonus & bonitatem ſuam communicet omnibus creaturis ſuis modis infinitis, ita ut nulla ſit creatura, quæ non aliquid recipiat ab ipſius bonitate, idque quam largiſſime; cumque bonitas Dei ſit bonitas viva, quæ vitam & notitiam & amorem & poteſtatem habet in eo, quod creaturis ſuis communicat; quomodo fieri poteſt, ut ulla res mortua ab ipſo procedere vel creata eſſe queat, quale eſt merum corpus, vel materia in hypotheſi illorum, qui affirmant: eandem omnino incon-

ver-

vertibilem esse in ullum vitæ vel perceptionis gradum? Vere dictum est à quodam, Deum non fecisse mortem: verumque pariter, quod nullam rem fecerit mortuam: quomodo enim res mortua propendere potest ab eo, qui infinite vita est & caritas? vel quomodo ulla creatura tam vilem & diminutivam ab ipso recipere potest essentiam (qui tam infinite liberalis est & bonus) ut nihil participet de vita vel perceptione, inque omnem æternitatem ad eandem ne in minimo quidem gradu aspirare possit? nonne Deus omnes creaturas suas in hunc creavit finem, ut in ipso sint beatæ, divinaque ejus bonitate fruantur in variis suis conditionibus atque statibus? Quomodo autem hoc fieri potest sine vita vel perceptione? vel quomodo aliquid frui potest divina bonitate, quod vita caret? sed adhuc ulterius urgebimus hoc argumentum.

Attributa divina communiter & recte distinguuntur in communicabilia, & in incommunicabilia. Incommunicabilia sunt, quod Deus est ens per se subsistens, independens, immutabile, absolute infinitum & perfectissimum. Communicabilia sunt, quod idem est spiritus, Lux, vita, quod ipse est bonus, Sanctus, justus, sapiens &c. Jam vero nulla sunt inter hæc communicabilia attributa, quæ non sunt viva & vita ipsa: Et quia quælibet creatura

cum Deo communicationem habet in quibusdam attributis suis, jam quæro: in quo attributo id faciat materia mortua, sive corpus, quod incapax est vitæ atque sensus in perpetuum? si dicatur: illam concurrere cum Deo in Entitate, sive quod sit Essentia; Respondeo: in Deo nullum esse ens mortuum, cujus ipse particeps sit, vel esse possit; unde ergo hæc suam habebit Entitatem mortuam? præterea Entitas rei proprie non est illius attributum; sed attributum proprie est tale quid, quod prædicatur vel affirmatur de ista Entitate. Quænam ergo attributa vel perfectiones tribui possunt materiæ mortuæ, quæ analogice respondeant illis, quæ in Deo sunt? si diligenter in illa inquiremus, nullum reperiemus omnino, omnia enim hujus attributa sunt viva, imo vita ipsa.

Præterea cum Creaturæ Dei, quatenus creaturæ sunt, necessario in aliquibus assimilari debeant creatori, jam quæro, in quonam mortua hæc materia Deo sit similis? si iterum dicant: in nuda Entitate; respondeo: nihil tale dari in Deo vel creaturis, adeoque merum est non ens.

Quod autem attinet ad reliqua materiei attributa, quod nimirum sit impenetrabilis, figurabilis & mobilis; nullum sane horum in Deo locum habere potest, adeoque non sunt ex communicabilibus ipsius attributis; sed po-

potius essentiales differentiæ vel attributa diversitatis, per quæ Creatura, qua talis, distinguitur a Deo, prout & mutabilitas est è numero horum attributorum differentialium, unde dici non potest, quod mutabilitas sit de communicabilibus Dei attributis; eodemque modo impenetrabilitas, figurabilitas & mobilitas non pertinent ad communicabilia Dei attributa, sed tantum ad illa, quibus Creaturæ ab eo differunt. Cumque materia mortua non participet ullum communicabilium Dei attributorum, omnino concludendum est, eandem esse merum non ens, vanamque fictionem & chimæram adeoque rem impossibilem. Si dicant: Eandem habere bonitatem & veritatem metaphysicam, prout quodlibet ens est verum & bonum; Iterum quæro: quidnam sit illud verum & bonum? si enim nullam habet participationem cum ullo communicabilium Dei attributorum, nec verum erit, nec bonum, adeoque mera erit fictio, prout jam dictum est. Porro, cum dici nequeat, in quo materia mortua participet cum bonitate divina ulla tenus, multo minus ostendi poterit, qua ratione capax sit, ut majorem semper acquirere possit bonitatem in infinitum, quæ est natura omnium creaturarum, quod nempe crescant & progrediantur in infinitum ad ulteriorem perfectionem, ut supra demonstratum est. Quem

enim progreſſum ulteriorem in bonitate vel perfectione habet materia mortua? Quia poſtquam infinitas ſubiit mutationes, motionis & figuræ, ſemper permanere cogitur, ut antehac, mortua; & ſi motio & figura nihil contribuunt ad accipiendam vitam, ſane iſta nunquam fit melior, imo ne in minimo quidem gradu promovetur in bonitate. Ponatur enim mortuam hanc materiam vel corpus ſuſtinuiſſe omnes formas & transmutatum fuiſſe in omnes figurarum ſpecies & maxime regulares & exactas; quid hoc corpori vel materiæ ipſi prodeſt, quia omni vita & perceptione caret? Ita ponamus, illam infinitas ſubiiſſe ſpecies motionum à tarditate uſque ad velocitatem, in quo propterea melior eſt ratione intrinſecæ cujuſdam melioritionis ſui ipſius? Nam de intrinſeca hac melioratione argumentum loquitur, quæ talis eſt melioratio, quam ipſa rei natura requirit, quæque eadem perficitur. Merum autem corpus mortuum & materia nullam requirit motionis vel figuræ ſpeciem, nec in ſeipſo magis perficitur per unam motionem vel figuram, quam per aliam; æqualiter enim indifferens eſt ad omnes motiones & figuras qualeſcumque, & per conſequens per nullam illarum melioratur vel perficitur. Et quod tandem habebit præmium pro omnibus iſtis miniſteriis,

ſi ſemper remaneat res mortua & impaſſibilis.

§. 3. Ratio mea tertia deſumta eſt à magno illo amore atque deſiderio, quod ſpiritus ſive animæ habent erga corpora, & præſertim erga illa, cum quibus ſunt unita & in quibus habitaculum ſuum habent; Jam vero fundamentum omnis amoris ſive deſiderii, quo res una fertur ad alteram in eo eſt, quod vel unius ſint naturæ & ſubſtantiæ, vel quod ſibi ſint ſimiles, vel ex utraque ratione, vel quod altera eſſe ſuum habeat ab altera; cujus exemplum habebimus in omnibus animalibus, quæ progenerant ſuam prolem, eodemque modo & in hominibus, quomodo ſcilicet ament id quod ab iis natum eſt. Sic namque & pravi viri & fœminæ (ſi non extreme ſint perversi & ἄστοργοι) ſuos amant liberos, naturalique affectu ipſos fovent; cujus cauſa certe hoc eſt, quod liberi unius ſint naturæ & ſubſtantiæ, quaſi nimirum eſſent ipſorum partes; ſique ſimiles ſunt illis, ſive corpore, ſive ſpiritu & moribus, hoc ipſo amor eorum eo magis adaugetur. Sic etiam videmus, quod animalia uniusſpeciei ſeſe magis invicem ament, quam ea, quæ diverſæ ſunt ſpeciei; unde etiam pecora unius ſpeciei ſimul paſcuntur, aves unius ſpeciei gregatim volant, & unius ſpeciei piſces ſimul natant, adeoque & homines potius cum hominibus con-

converſantur, quam cum aliis creaturis. Praeter hunc tamen amorem particularem adhuc ſuperest aliquid amoris univerſalis in omnibus creaturis erga ſe invicem, non attenta magna illa confuſione, quæ hic interceſſit ob tranſgreſſionem: quem certe ex eodem fundamento procedere oportet, quod nimirum ratione primæ ſuæ ſubſtantiæ & eſſentiæ omnes unum ſint, idemque & quaſi partes vel membra unius corporis. Porro in qualibet ſpecie animalium videmus, quomodo maſculi & feminæ ſe invicem ament, & in omnibus progenerationibus ſuis (quæ non ſunt monſtroſæ & contra naturam) ſe invicem obſervent, idque etiam procedit non ſolum ab unitate naturæ; ſed etiam propter inſignem, quam inter ſe habent ſimilitudinem. Et ambo hæc fundamenta amoris inter virum & mulierem expreſſe commemorantur in Geneſi; ad unitatem enim naturæ illud pertinet, quod Adam dicit de uxore ſua: *hæc eſt os de oſſibus meis, & caro de carne mea, &c.* Illa enim ab ipſo deſumpta erat, ejuſque erat pars, & propterea illam amabat. Porro de ſimilitudine etiam dicitur, quod nullum inventum fuerit adjutorium pro eo, ſive ante faciem ejus, prout in Hebræo eſt; id eſt inter omnes creaturas non videbat ſibi ſimilem, cum qua vellet converſari, donec Eva pro ipſo confieret. Sed adhuc alia eſt amo-

amoris cauſa , cum entia, quæ ſeſe amant, non una ſunt ſubſtantia , ſed unam eſſentiam dedit alteri, ejuſque propria & realis cauſa eſt. Et ita res ſe habet inter Deum & creaturas : Ipſe enim omnibus eſſe dedit & vivere & moveri, & propterea ipſe omnes diligit, nec poteſt ipſas non diligere. Imo eodem tempore cum eaſdem odiſſe videtur, ipſiſque iraſci , hæc ipſa ejus ira & quæ abinde procedunt , pœnæ nimirum & judicia in ipſarum fiunt bonum , & quia ille perſpicit ,, quod iſtæ his opus habeant. Sic è contrario creaturæ, quæ non omnino degenerarunt, omnemque Dei ſenſum amiſerunt, eundem amant , & hæc divina quædam lex eſt atque inſtinctus , quem ille omnibus creaturis rationalibus indidit, ut ipſum nempe ament, quæ eſt impletio totius legis. Illæ autem creaturæ, quæ quam proxime ad Deum procedunt ſimilitudine, magis ipſum amant , & magis etiam ab ipſo amantur. Sed ſi judicatur , dari adhuc aliam amoris cauſam , quæ ſit principalis, nimirum bonitatem, quæ vehementiſſimus eſt amoris magnes , unde etiam Deus ab omnibus quam plurimum ſit amandus, quia ipſe ſit optimus ; qualis etiam bonitas quadantenus in creaturis detur, ſive realis, ſive apparens, unde tales diligantur à creaturis ſociis : Reſpondeo ,

con-

concedendum quidem, quod bonitas magna ſit, imo maxima amoris cauſa, propriumque ejuſdem objectum: Bonitas hæc tamen non diſtincta eſt cauſa à prioribus jam poſitis, ſed in ipſis comprehenditur. Quare enim rem quandam vocamus bonam, quia sive realiter sive apparenter nobis placet propter ſuam, quam nobiſcum habet, unitatem vel ſimilitudinem, vel, quam nos cum ipſo habemus: hinc fit quod boni amant bonos, & non aliunde: Boni enim non poſſunt amare malos, nec mali bonos qua tales; non enim major eſt ſimilitudo, quam inter bonum & bonum. Ratio ergo quare rem aliquam dicamus vel æſtimemus bonam, hæc eſt, quod nobis benefaciat, quodque participes fiamus bonitatis ejus, adeoque hic ſemper militat cauſa prima ſimilitudinis. Sic etiam cum res quædam Eſſentiam largitur alteri, nimirum cùm Deus & Chriſtus eſſentiam dant creaturis (quippe à quibus ſolis omnis vera eſſentia provenit) hic pariter eſt ſimilitudo quædam: impoſſibile enim eſt creaturam non aliquantenus ſimilem eſſe Creatori, cumque ipſo in quibuſdam attributis vel perfectionibus concordare.

Suppoſito hoc Lapide Lydio jam ad ſubſtratam materiam convertemur; videlicet, ut

ut examinemus : annon ſpiritus & corpus
unius sint naturæ & ſubſtantiæ, adeoque in
ſe invicem convertibiles ? Quæro igitur :
quænam ſit cauſa, quod anima ſive ſpiritus
hominis tantopere amet corpus, adeoque
um ipſo ſit unita, tamque invita ab ipſo
iſcedat, ut animas quorundam compertum
t manifeſte ſuper corpora ſua, & penes
la ſubſtitiſſe, poſtquam corpus eſſet mor-
ium, donec iſtud corrumperetur & reſol-
eretur in pulverem. Ratio hujus amoris
ec eſſe nequit, quod ſpiritus vel anima
derit diſtinctam corpori eſſentiam, vel
rpus ſpiritui; hæc enim eſſet creatio ſen-
ſtricto, & proprie dicta : hæc autem ſoli
mpetit Deo & Chriſto, dare nempe rebus
:ntiam. Ergo id neceſſario fiet propter
m, quam inter ſe invicem habent, ſi-
itudinem, vel aliquam inter naturas ea-
affinitatem. Vel ſi dicatur eſſe cer-
quandam in corpore bonitatem, quæ
itum commoveat, ut illud amet, hæc
bonitas neceſſario reſpondebit rei cui-
in natura animæ, quæ ipſi similis eſt,
enim in illam ferri non poſſet. Imo
nt ergo nobis ; quænam ſit illa boni-
n corpore propter quam anima tanto-
iſtud amat ? Vel in quibus attributis
perfectionibus corpus ſimile eſt ſpiri-
ſi corpus nihil eſt, niſi truncus mor-
tuus,

tuus, & maſſa quædam', quæ omnino ſit incapax ullius vitæ & perfectionis gradus? Si dicant : corpus concordare cum anima vel ſpiritu in ratione Entis, id eſt, quod ſicut illa habet entitatem, ita eandem & hoc habent; Hoc refutatum jam eſt in Argumento priore. Si enim hoc ens nulla habet attributa ſive perfectiones, in quo conveniat cum entitate ſpiritus, tunc merum ſaltem eſt figmentum. Deus enim nullum creavit ens nudum, quod merum tantum ens ſit, & nulla habeat attributa, quæ de ipſo prædicari poſſint : Et præterea Ens tantum eſt Terminus Logicus & notio, quam Logici vocant, Genus generaliſſimum, quod in nuda & abſtracta notione ſua non eſt in rebus ipſis, ſed ſaltem in conceptu, ſive intellectu humano. Et propterea quodlibet Ens verum natura eſt quædam ſingularis, de qua affirmari queant hęc vel illa attributa. Jam quęnam ſunt illa attributa corporis, in quibus ſimile ſit ſpiritui; Examinemus principalia corporis attributa, quatenus diſtinctum eſt à ſpiritu, juxta illorum ſenſum, qui tantopere diſceptant corpus & ſpiritum tam infinite in natura diſtare, ut alterum nunquam fieri poſſit alterum. Illa attributa ſunt hæc : quod corpus ſit impenetrabile ab omnibus corporibus aliis, ita ut etiam partes ejus ſeſe pe-

ne

netrare nequeant. Porro aliud etiam attributum corporis est, esse discerptibile sive divisibile in partes. Attributa autem spiritus, prout isti eundem definiunt, sunt penetrabilitas & indiscerptibilitas, ita ut spiritus unus penetrare possit alium, ut etiam mille spiritus consistere possint intra se invicem, nec plus tamen occupent spatii, quam spiritus unus. Præterea spiritus tam est simplex & unus in seipso, ut non possit discerpi vel actualiter dividi in partes á se invicem segregatas. Si jam hæc attributa corporis & spiritus invicem comparentur, tantum abest, ut sibi invicem sint similia, vel ut aliquam habeant naturæ analogiam, (in quo tamen verum consistit amoris & unitatis fundamentum, sicut dictum est) ut plane sibi sint contraria; imo nihil concipi potest in toto universo tam rei alicui contrarium, quam corpus & spiritus sunt in notione istorum hominum. Pura enim & pura contrarietas hic est in omnibus attributis eorum; quia impenetrabilitas & penetrabilitas magis sibi invicem contraria sunt, quam nigrum & album, sive calidum & frigidum, quod enim nigrum est, fieri potest album, & quod calidum est, fieri potest frigidum; sed prout isti dicunt: quod impenetrabile est, non fieri potest penetrabile; imo Deus & Creatura

non

non tam infinite differunt in eſſentia ſua à ſe invicem, quam iſti Doctores corpus differre faciunt à ſpiritu. Multa enim ſunt attributa, in quibus Deus & Creaturæ ejus invicem concordant: nullum autem invenire poſſumus, in quo corpus ullo modo conveniat cum ſpiritu & per conſequens nec cum Deo, qui ſpirituum eſt ſummus & puriſſimus; quare etiam nulla poterit eſſe Dei creatura, ſed merum non ens, ſive figmentum. Sicut autem corpus & ſpiritus contraria ſunt in attributis impenetrabilitatis & penetrabilitatis, ita non minorem habent contrarietatem in diſcerpibilitate & in indiſcerpibilitate; quod ſi enim allegant, corpus & ſpiritum convenire in quibuſdam attributis, qualia ſunt extenſio, mobilitas & figurabilitas; ita ut ſpiritus habeat extenſionem & pertingere queat ab uno loco ad alium, item quod movere ſe queat ex uno loco in alium: nec non configurare ſe ipſum in qualemcunque figuram, quæ ipſi placuerit: quibus in caſibus conveniat cum corpore, & corpus cum ipſo. Ad hoc reſpondeo: primo ſupponendo, ſpiritum poſſe extendi (quod tamen multi, imo plurimi illorum negant, qui corpus & ſpiritum ſtatuunt eſſentialiter eſſe diſtincta) extenſio

ta-

tamen ſpiritus & corporis, prout illi eaudem intelligunt, mirum in modum diſcrepant. Extenſio enim corporis ſemper eſt impenetrabilis, imo extenſum eſſe & impenetrabile eſſe, quatenus ad corpus ſpectant, unum tantum ſunt reale attributum, duobus loquendi modis ſive notionibus mentalibus & logicalibus propoſitum; Quid enim eſt extenſio, niſi quod impenetrabile eſt corpus, ubicunque id fuerit, à propriis ſuis partibus? Removens autem hoc impenetrabilitatis attributum à corpore, nec amplius concipi poterit tanquam extenſum. Porro extenſio etiam corporis & ſpiritus, juxta illorum notionem infinite differunt: quamcunque enim extenſionem corpus habet, illa eſt tam neceſſaria, eidemque tam eſſentialis, ut impoſſibile ſit idem magis vel minus extenſum eſſe poſſe, cum tamen ſpiritus magis minusve extendi queat, prout ipſi dicunt; cumque mobile eſſe & figurabile conſecutiva tantum ſint attributa extensionis (eo quod ſpiritus longe aliter ſit mobilis vel figurabilis, quam corpus, quia ſpiritus movere & configurare poteſt ſe ipſum, quod corpus facere non poteſt) eadem ratio, quæ valida eſt contra unum, valida etiam eſt contra alterum.

§ 4.

§. 4. Secundo autem, quomodo probare poſſunt impenetrabilitatem eſſe eſſentiale attributum corporis: vel penetrabilitatem eſſe eſſentiale attributum ſpiritus? cur corpus non poſſet eſſe magis vel minus impenetrabile? Et ſpiritus magis vel minus penetrabilis, prout fieri poteſt & reverâ accidit in aliis attributis. Nam exempli gratia corpus aliquod poteſt eſſe magis vel minus grave vel leve; condenſatum vel rarefactum, ſolidum vel liquidum, calidum vel frigidum; cur ergo non etiam eſſe poſſet magis vel minus impenetrabile & penetrabile? Si dicatur, nos in omnibus hiſce mutationibus aliis ſemper videre, quod corpus maneat impenetrabile, ſicut ferrum etiam, quando ignitum eſt, ſemper tamen impenetrabile manet. Reſpondeo concedendo quod impenetrabile maneat à quocunque corpore alio æqualis craſſitiei: à corpore tamen ſubtiliore omnino penetrari poteſt & penetratur, nimirum ab igne, qui in ipſum intravit, omneſque partes ejus penetravit, unde tam molle factum eſt, & ſi ignis ſit fortior, omnino liqueſcit. Ad hoc ſi regerunt, quod ingreſſus ignis intra ferrum non ſit penetratio ſenſu philoſophico, nec prout ipſi intelligunt, quaſi nimirum ignis & ferrum unum tantum occuparent locum, ita ut alterum alteri intime

fo-

ret præſens, quia contrarium ſit manifeſtum, quod ferrum, ſi igniatur, turgeſcat, & majorem requirat molem, quam ſi ſit frigidum, & ſi iterum frigeſcat, ad priſtinas regrediatur dimenſiones. Ad hæc replico: quod ſi talem intelligant penetrationem, quam vocamus intimam præſentiam, ut nimirum ſubſtantia quædam homogenea intret in aliam, cùm ambæ ſint æqualium dimenſionum; nec tamen augeri debeat moles vel quantitas, id omnino videtur irrationale, meraque eſſet impoſſibilitas & contradictio, tam intimam concedere creaturis præſentiam, quæ ſoli competit Deo & Chriſto, ceu creatoribus, qui hoc pollent privilegio, ut intime inſint in creaturis, cùm nulla creatura tam intimam habere queat præſentiam in creatura ſocia, quia aliàs ceſſaret eſſe creatura, & obtineret unum ex incommunicabilibus Dei & Chriſti attributis, quale eſt intima hæc præſentia. Hæc, inquam, primario tribuenda eſt Deo, & ſecundario Chriſto, quatenus ille eſt medium quid inter Deum & creaturas, quique ſicut particeps eſt mutabilitatis & immutabilitatis, æternitatis & temporis, ita dici poteſt particeps eſſe ſpiritus & corporis & conſequenter loci & extenſionis: quatenus enim corpus ejus alius eſt ſubſtantiæ, quam cor-

corpus reliquarum creaturarum omnium, (quippe quarum ille eſt principium Deo proximum) vere dici poteſt, intime præſens eſſe in ipſis, ut tamen cum ipſis non confundatur. Supponere autem unam creaturam intime poſſe præſentem eſſe alteri, ita ut cum ipſa miſceatur vel uniatur quam perfectiſſime, nec tamen augeſcat ejus moles vel extenſio; idipſum confundit creaturas, duaſque vel plures unam tantùm eſſe facit. Imo hæc hypotheſis efficeret, quod tota creatio reducibilis dici poſſet in molem grani minimi vel pulviſculi, quia quælibet pars ſupponeretur penetrare alteram, non ſubſecuta majori extenſione, quam unius illius partis. Si dicitur, id tantum probari, quod ſpiritus reduci poſſint in tam exiguum ſpatium, ſed non corpora, quia corpora ſunt impenetrabilia. Reſpondeo: hoc eſſe petitionem principii, quia nondum probarunt corpus & ſpiritum diſtinctas eſſe ſubſtantias: quales niſi fuerint, ſequitur naturam unam non magis eſſe penetrabilem, quam alteram, ſecundùm ipſorum ſenſum. Et certe quidem rationi videtur admodum conſentaneum, quod ſicut tempora ita ſunt extenſa in debitas ſuas menſuras & extenſiones ſingula, ut non poſſint excedere ſi-

terminos illos, adeoque non poſſint eſſe intime ſibi invicem præſentia: Sicut, exempli cauſa, prima ſeptimanæ dies ſecundæ ejuſdem hebdomadis diei præſens eſſe nequit; nec prima diei hora præſens eſſe ſecundæ, nec primum horæ minutum ſecundo ejusdem horæ præſens eſt; eo quod hæc ſit natura & Eſſentia temporis ſucceſſivum eſſe, & partes habere extra partes, cum Deus tamen realiter & intime ſit præſens in omnibus temporibus, & non mutatur; quod dici nequit de Creatura, illam ſcilicet eſſe in omnibus vel pluribus temporibus & non mutari, quia creatura perpetuo mutatur cum temporibus; Cum tempora nihil ſint niſi motio vel mutatio creaturæ, ab una conditione ſtatuve in alium. Sicut ergo res ſe habet cum tempore & cum creatura, quæ eſt in tempore; ita res ſe etiam habet cum loco ſive mole, ſeu quantitate. Sicut enim in Deo nullum eſt tempus, ſic etiam nulla moles, vel corporea quantitas: In Creaturis autem ſimul tempus eſt, & corporea quantitas, quia alias vel Deus eſſent, vel nihilum, quod eſt impoſſibile. Qualemcunque ergo quantitatem ſive molem vel extenſionem aliqua creaturarum habet, illam neceſſario retinet tanquam aliquid, quod ſit de ipſa ejus eſſentia: Sicut eſſentia temporis eſt conſiſtere ex pluribus partibus, & illas iterum ex pluribus, & ſic in infini-

tum. Et tamen intelligi optime poteſt, quomodo tempus minus ſit in majore, exempli gratia, quomodo tot minuta ſint in una hora, & tot horæ in una die: una autem hora immediate tangit vicinam ſuam, non autem præſens poteſt eſſe in illa: Ita res ſe habet cum Creaturis ratione molis vel quantitatis illarum: una nempe creatura tangere quidem alteram immediate poteſt, præſens autem eſſe non poteſt in omnibus ejus partibus, ſed minor ſaltem poteſt eſſe in majori, & ſubtilior in groſſiori: & hæc magis proprie eſt penetratio, quæ competit tam corporibus quam ſpiritibus æqualiter, ut ſicut corpus quoddam minus groſſum penetrare poteſt aliud majus groſſum, duo autem corpora æqualis groſſitiei penetrare non poſſunt ſeinvicem; idem dici queat de ſpiritibus, qui etiam ſuos habent gradus majoris vel minoris groſſitiei & ſubtilitatis, prout corpora habent: nec alia eſt differentia inter corpus & ſpiritum (ſi corpus non ſumatur juxta illorum ſenſum, qui ſtatuunt illud rem eſſe mere mortuam vita carentem, vitæque capacitate: ſed in ſenſu proprio, quatenus nimirum excellens eſt creatura Dei, vitam habens & ſenſationem, quæ vel actualiter ipſi competat, vel potentialiter) niſi hæc quod corpus ſit pars rei cujusdam groſſior, & ſpiritus ſubtilior, unde etiam nomen ſpiritus habet ab aëre ſcilicet, quæ eſt natura-

in

in mundo visibili subtilissima. *Melius in Kabb. denud. Tom. II. tract. ult. p. 6. §. 13. Spiritus definitur esse natura centralis: cui sit facultas Sphæram emittendi luminosam, eandemque vel ampliandi vel restringendi &c. quæ proprie videtur esse Aristotelis ἐντελέχεια. Et ibid. p. 28. §. 4. Materia definitur centrum nudum, seu punctum ex radiatione carens, quod Aristoteles intellexit per privationem. Unde concludendum: impenetrabilitatem harum creaturarum restringendam esse ad earum centra*) Vox enim Hebræorum *Ruach*, quæ spiritum denotat, significat etiam aërem; & sic, quia aër motum habet admodum velocem, omnis motionis velocitas imputatur spiritui, qui in corpore moto est: hinc plebeji ex ignorantia, cum nullum percipiant motum in quibusdam corporibus, eadem vocant mortua, spirituque & vita carentia. Revera autem nullum est corpus ullibi, quod non habeat motionem & per consequens vitam vel spiritum. Quælibet ergo Creatura debitam suam habet molem, vel extensionem, quam excedere non potest, quoque etiam non potest diminui.

Nec obstat quod videamus, qua ratione corpus aliquod admodum exiguum extendi queat in spacium millesies majus, quam habuit; ut pulvis pyrius, si incendatur, mirum in modum se extendit. Omnis enim hæc extensio fit per divisionem partium in

partes ſemper minores atque minores, quæ non revera implent totum illud ſpatium tam magnum, prout videtur, cum quælibet pars interea nec majorem nec minorem habeat extenſionem, quam antea habebat. His ergo ſuppoſitis concludendum erit; quod omnes ſpiritus creaturales, qui in corporibus ſunt præſentes, vel ſint in poris dictorum corporum, vel in certis concavitatibus ibidem factis, quales talpa facit in terra: vel iidem efficiunt, ut prædicta corpora fiant turgida & majorem ſortiantur extenſionem, ut cum magna ignis copia ſubintrat in ferrum, hoc ipſum notabiliter turgeſcit & extenditur; & quamvis iſta corporum turgeſcentia non ſemper obſervari queat ab externis noſtris ſenſibus, negari tamen propterea non poteſt: fieri enim poteſt, ut corpus aliquod notanter in dimenſionibus ſuis excreſcat, & omnino fiat majus, & hæc tamen magnitudo omnem excludat externam obſervationem, imo ita ſit ſubtilis, ut numeris exprimi nequeat, exempli gratia, ſupponamus corpus aliquod, cujus ſoliditas partes contineat 64. & aliud cujus ſoliditas contineat 100. ubi radix prioris corporis, cujus cubus eſt 64. eſt 4. ita ut latus illius corporis contineat quatuor longitudines ſic diviſarum partium: latus autem ſive radix alterius corporis, cujus cubus eſt 100, nullo numero exprimi poteſt, major enim eſt

quam

quam quatuor, & minor quam quinque & nulla fractio eandem determinare poteſt. Corpora ergo, ſicut dictum eſt, notabiliter exturgeſcere poſſunt, ſi plures ſpiritus vel corpora ſubtiliora in illa ingrediantur, ut ſemper tamen craſſi noſtri ſenſus exiſtiment, illa nihilo facta eſſe majora. Porro, ut & ad alterum accedamus attributum, quod corporis eſſe dicitur, non autem ſpiritus, nimirum ad Diſcerpibilitatem, ſi hanc ita intelligant, quod unum tantum corpus, nimirum minimum, quod concipi poteſt, (ſi tale aliquod corpus concipiamus) poſſit diſcerpi: id ſane eſt impoſſibile, eſt enim contradictio in adjecto, & ſupponeret omne corpus minimum diſcerpibile eſſe in partes minores. Si itaque corpus accipiatur individualiter pro uno ſaltem corpore ſingulari, iſtud eſt indiſcerpibile, & id quod communiter vocamus diſcerpibilitatem corporis, hoc ſaltem intendit, quod dividere poſſimus unum corpus ab altero, locando tertium aliquod corpus inter illa, & juxta hunc ſenſum ſpiritus non minus ſunt diſcerpibiles quam corpora: Quamvis enim unus ſpiritus ſingularis non poſſit fieri duo vel plures ſpiritus, plures tamen ſpiritus ſimul exiſtentes in uno corpore non minus ſeparari poſſunt à ſe invicem, quam corpora: Qualitercunque enim ſive corpora ſive ſpiritus diſcerpi vel ſeparari queant in toto univerſo à ſe

se invicem, semper tamen permanent unita in hac separatione, cum tota creatio semper una tantum sit substantia vel entitas, nec vacuum sit in illa; quomodo ergo res aliqua separari poterit à seipsa? Id volo ab illo, quod propria est ipsius natura, quatenus consideratur originaliter vel in suo primordio, primoque esse. Sicut autem datur generalis hæc omnium creaturarum inter se invicem unitas, ita ut nulla separari queat ab omnibus suis creaturis sociis; ita specialior magisque particularis unitas datur inter partes unius speciei in particulari. Ut cum corpus discerptum est & membra remota sunt à se invicem in certam distantiam, quamdiu membra hæc nondum sunt corrupta, inque aliam speciem mutata, illa semper emittunt subtiles quasdam particulas ad se invicem, nec non ad ipsum corpus à quo pervenerunt, corpusque ad ipsas mittit similes (quas spiritus atque corpora appellare possumus, vel spiritus, utrumque enim sunt) quibus mediantibus membra atque partes apparenter ita separata à se invicem semper retinent realem quandam unitatem & sympathiam, prout manifestum est è plurimis exemplis, & in specie è duobus sequentibus, quorum primum est hoc: Quod quîdam naso carens, nasum sibi fieri curaverit ex carne alterius cujusdam hominis, quo agglutinato vitaliter (sicut surculus

lus unitur cum arboris trunco, cui insitus est) cum alter ille moreretur, corrupto illius corpore, nasus ille similiter corrumpebatur, aque corpore vivi hujus decidebat. Secundum exemplum est hominis cujusdam, cui crus fuit abscissum, quod crus notabili quadam distantia à reliquo corpore semotum cum chirurgus aliquis dissecaret, vir ille conquerebatur de doloribus & ostendebat qua in parte crus illud vulneraretur, quod manifesto probat, certam quandam partium unionem etiam ad certam usque distantiam á se invicem separatarum. Et sic etiam individua unius speciei, sive quæ affinitatem habent in una specie singularem habent invicem unionem, quamvis localiter distent, quod tamen manifestius est in genere humano: si enim duo quidam homines insigniter se invicem peramant hoc ipso amore tantopere uniantur, ut nulla locorum distantia illos dividere vel separare queat, præsentes enim sibi invicem sunt in spiritu, ita ut continuus effluxus vel emanatio spirituum ab illis mutuo transeat, quibus uniuntur & colligantur tanquam funibus quibusdam. Atque sic quidquid homo amat, sive sit homo, sive animal, sive Arbor, sive argentum sive aurum cum illo unitus est ipse, & spiritus ejus ab ipso in hancce rem excedit. Et hic observandum est, quod quamvis spiritus hominis communiter in singulari dica-

tur tanquam res una, idem tamen ſpiritus compoſitum quoddam ſit ſpirituum plurium, imo innumerabilium, ſicut corpus eſt compoſitum plurium corporum: & corpus ordinem quendam & regimen ſuum habet in omnibus partibus, tanto magis ſpiritus, qui magnus eſt ſpirituum excercitus, in quo diſtincta ſunt officia ſub uno ſpiritu regente. Atque jam hinc apparet, quod impenetrabilitas & indiſcerpibilitas non magis ſint eſſentialia attributa corporis, quam ſpiritus, quia in uno ſenſu utrique competunt, & in altero ſenſu neutri.

Contra hanc autem ſpirituum in quolibet ſpiritu infinitatem & contra infinitatem corporum in corporibus ſingulis objici poſſet illud, quod dictum eſt: *Deum omnia feciſſe in numero, pondere & menſura*: quapropter in uno homine tam innumerabilis ſpirituum multitudo eſſe nequeat, nec innumerabilis multitudo corporum in uno corpore. Reſpondeo autem, quod infinitas hæc ſive innumerabilitas ſpirituum & corporum ſalem intelligenda ſit reſpectu creaturæ intelligentis, ita ut nulla creatura intelligens illa numerare queat, nec menſurare externam extenſionem ſive corporis, ſive ſpiritus, quæ in ipſa cadere poteſt. Quod autem Deus perfectiſſime norit numerum & menſuram omnium rerum creatarum libentiſſime conceditur. Si autem

Deus,

Deus omnia fecit in numero, menſura & pondere, ſane quælibet creatura ſuum habebit numerum & menſuram atque pondus, & per conſequens dicere non poſſumus de ulla creatura, quod illa ſit una tantùm res ſingularis, quia numerus eſt, numerus autem eſt multitudo. Et revera natura creaturæ ita ſe habet, ut illa res mere ſingularis eſſe nequeat, ſi nimirum agere aliquid debet, fruique bonitate illa, quæ ipſi præparata eſt à Creatore. Nam exempli cauſa, ponamus unicam atomum ſeparatam ab omnibus creaturis ſociis, quid illa agere poteſt, ut perficiat ſeipſam, ſeque majorem faciat vel meliorem? quid videre poteſt vel audire, vel guſtare, vel ſentire, ſive ab intra, ſive ab extra? motionem habere non poteſt internam, quia omnis motio duos habet terminos vel extrema ad minimum, terminum nimirum à quo, & ad quem; cumque hæc unica ſit atomos, ſive centrum intra ſeipſam certe nullam habere poteſt motionem è termino à quo & ad quem; cumque conſequenter non videat, nec audiat, guſtet vel ſentiat ab intra, hæc ſane etiam ab extra habere nequit ex aliis creaturis: ſi enim videre, audire, ſentire vel guſtare debeat ullam aliam creaturam, imaginem recipere deberet alius hujus creaturæ intra ſeipſam, quod facere non po-

teſt, qnia atomos ſaltem eſt, atomus autem tam eſt exilis, ut nihil inſe recipere queat. Sicut enim organa ſenſuum externorum compoſita ſunt è pluribus partibus, ſic etiam ſe habent organa ſenſuum internorum, & conſequenter omnis cognitio requirit varietatem vel multitudinem, quæ ipſius ſit ſubjectum vel receptaculum. Intelligo autem omnem cognitionem creaturalem, ubi cognitio recipitur vel excitatur à rebus vel objectis cognitis (cum Dei cognitio non recipiatur nec excitetur per creaturas, ſed originaliter ſit in & ab eodem ipſo.) Cùm ergo objecta cognitionis noſtræ ſint varia, & quodlibet objectum imaginem ſuam intra nos immittat, eademque imago ſit ens reale, ſequitnr nos multas in nobis habere imagines, quę non omnes poſſunt recipi in atomo, ſed opus habent diſtinctis ſuis in nobis locis, indiſtinctis ſnis formis & figuris: alias non ſolum confusio ſequeretur, ſed multæ res poſſent invicem ſibi eſſe præſentes ſine omni extenſione, quod repugnat cum ipſa natura creaturæ. Quamvis autem objecta cognitionis noſtræ ſint plura, & nos hoc ſciamus, quod videlicet verbi gratia ego ſim multiplex, qui tam multas imagines recipio ab iſtis objectis, exinde tamen non ſequitur, ſi ego, qui aliquid cognoſco, ſum multiplex, quod pro-

propterea unum objectum videre debeam tanquam multiplex, ita ut viſo uno homine, videam multos: cum enim multi homines virum vident unum, non vident eundem tanquam multos homines, ſed tanquam unicum: ſic cum conſpicio, reſpicio rem aliquam duobus meis oculis (niſi forte confuſio quædam ſit in viſione mea) non duo mihi videntur, ſed unus; ſique rem quandam videre poſſem decies mille oculis, prout duobus video, illa ſane res, ſive equus foret, sive homo, non aliter mihi appareret, quam unum ſolum. Hinc magna nobis apparet inter Deum & creaturas diſtinctio; ille enim unus eſt, & hæc ipſius eſt perfectio, ut nulla re opus habeat extra ſe: ſed creatura, quia opus habet auxilio creaturarnm ſuarum ſociarum, multiplex eſſe debet, ut recipere hoc queat auxilium; hoc enim, quod aliquid recipit, per illud nutritur, adeoque hoc fit pars illius, & propterea illud non amplius eſt unum, ſed eſt multum & totuplex quidem, quot ſunt res, quæ recipiuntur, & adhuc majoris multiplicitatis. Sic ergo eſt ſocietas quædam inter creaturas in dando & recipiendo, per quam mutuo ſubſtituunt per ſe invicem, ita ut una vivere non poſſet ſine alia: Quænam creatura in toto univerſo reperitur, quæ opus non habeat creatu-

ra ſua ſocia? Nulla certè. Per conſequens ergo quamlibet creaturam, quæ ullam habet vitam, ſenſum vel motionem oportet eſſe multiplicem ſive numerum, imo reſpectu cujuſvis intellectus creati numerum ſine numero vel infinitum. Si autem dicatur: Nonne ſpiritum centralem vel ſpiritum regentem oportet eſſe unicam ſaltem atomum; quomodo enim alias vocaretur centrum, ſpirituſque primarius dominium habens ſuper omnes reliquos? Reſpondeo negando: hoc enim ipſum centrum, ſive hic ſpiritus regens & primarius multiplex eſt, ob rationes ſupradictas; centrum autem dicitur quia omnes reliqui ſpiritus ad eundem concurrunt, ſicut lineæ ab omnibus circumferentiæ partibus ad centrum concurrunt: & ab eo iterum etiam exeunt atque procedunt: & unitas quidem ſpirituum hoc centrum ſive ſpiritum hunc prędominantem componentium, firmior eſt, & tenacior quam ſpirituum reliquorum, qui quaſi ſunt Angeli vel miniſtratorii ſpiritus Principis ſui atque Ducis: imo in homine hæc unitas tam eſt magna, ut nihil eandem diſſolvere queat: (quamvis unitas copiæ miniſtrantium ſpirituum maximæ; qui non pertinent ad centri compoſitionem diſſolvi queat.) Hinc evenit, quod anima cujuſlibet hominis permanſura ſit anima integra æterna, vel ſine fine durans, ut accipiat proprios fructus ſuos,

uni-

ſecundum laborem ſuum : idque requirit univerſalis illa lex juſtitiæ, cuilibet rei inſcripta, quæ quaſi vinculum eſt fortiſſimum & indiſſolubile ad continendam hanc unitatem. Quid enim magis concordare poteſt cum infinita illa juſtitia & ſapientia, quam hoc, quod illi, qui conſenſerunt & conjuncti fuerunt ad operandum bonum vel malum, ſimul recepturi ſint præmium ſuum, vel pœnam debitam, quod fieri non poſſet, ſi fuerint ab invicem diſſipati? Eademque ratio evincit, quod ſpiritus centralis omnium aliarum creaturarum indiſſolubilis permaneat, quodque licet ſpiritus centrales novi continuo formentur in productione rerum, nullus tamen ſpiritus centralis diſſolvatur, ſed ulterius promoveatur, vel diminuatur ſaltem, ſecundùm præſentem ipsius dignitatem vel indignitatem, capacitatemque vel incapacitatem.

CAP. VIII.

§. 1. Quod Spiritus & corpus, qua Creaturæ ſunt, non differant eſſentialiter, ulterius probatur tribus rationibus aliis : & quarta quidem deſumta eſt ab intima illa unione ſive vinculo, quod inter ſpiritus & corpora exiſtit. §. 2. Inæqualis omnino eſt comparatio, ſi modus ille, quomodo ani-

ma

ma movet corpus, illuſtretur exemplo Dei, qui creaturas movet. §. 3. Unio & ſympathia animæ & corporis facile demonſtrari poteſt, ſicut etiam, quomodo anima corpus moveat ex prædicto principio, quod ſpiritus ſit corpus, & corpus ſpiritus. §. 4. Quintum argumentum deſumitur à terra & aqua, quæ continuo producunt animalia variorum generum è materia putrida vel corrupta. §. 5. Quomodo corpus groſſum mutetur in ſpiritum, ſitque quaſi ſpirituum mater: ubi exemplum proponitur de alimento noſtro corporali, quod per varias tranſmutationes in corpore mutatur in ſpiritus animales, & ab his in ſubtiliores, magiſque ſpirituales. §. 6. De hominum Angelis, bonis vel malis, qui proprie ſint Angeli hominis, & ab ipſo procedant. tamquam rami è radice. §. 7. Sextum & ultimum argumentum deſumtum eſt ab aliquibus Scripturæ locis.

§. 1. QUartum argumentum, ut probetur, quod ſpiritus & corpus non differant eſſentialiter, ſed gradibus, deſumam ab intima illa unione ſive vinculo, quod inter ſpiritus intercedit atque corpora, quo mediante ſpiritus dominium habent ſuper corpora, cum quibus ſunt unita:

ta, ut eadem moveant ab uno loco in alium, iisque utantur tanquam instrumentis in variis suis operationibus. Si enim spiritus & corpus tam sibi invicem sint contraria, ita ut spiritus sit vita sive substantia vivens, & percipiens, corpus vero massa quædam mere mortua; spiritus penetrabilis & indiscerpibilis; corpus vero impenetrabile & discerpibile, quæ omnia sunt attributa contraria; quidnam quæso hoc est, quod illa tantopere unit atque conjungit? vel quænam sunt illæ catenæ vel fibulę, quibus eadem tam firmiter connectuntur, idque in tantum temporis spatium? Porro cúm spiritus sive anima separata est à corpore, ita ut nullum amplius in istud habeat imperium vel potestatem ad movendum illud, prout antea habebat; quænam est causa hujus separationis? si dicatur, quod vitalis congruitas, quam anima habet erga corpus, causa sit prædictæ unionis, quodque corpore corrupto vitalis illa congruitas cesset; Respondeo: quærendum primo esse, in quonam vitalis illa congruitas consistat; Si enim dicere nobis non potuerint, in quo illa consistat, nugantur saltem verbis inanibus, quæ sonum edunt & significatione carent. Certe enim eo sensu, quo ipsis sumitur corpus & spiritus, nulla omnino inter eadem est congruitas:

cor-

corpus enim ſemper eſt res mortua vita carens atque perceptione, non minus cùm ſpiritus in illo eſt, quam cum ex illo diſceſſit, hinc nulla omnino eſt congruitas inter illa: Si-que congruitas aliqua ibi daretur, illa ſane maneret eadem, cùm corpus eſt ſanum, & cùm eſt corruptum. Si hoc negant ex eo quod ſpiritus requirat corpus organiſatum, quo mediante vitalibus ſuis actibus externorum ſenſuum fungatur, corpuſque moveat & transferat de loco in locum; quæ organiſatio corrupto corpore deficiat: Hoc ipſo ſane difficultas hæc non plenius ſolvitur. Quare enim ſpiritus tale corpus organiſatum requirit? Exempli cauſâ, cur ille requirit oculum corporeum tam mire formatum & organiſatum, ut per illum videat? cur opus habeat lumine corporeo, ut videat objecta corporea? vel quare opus habet, ut imago objecti per oculum ad ſe tranſmittatur, ut illud videre queat? Si ille omnino ſpiritus tantum eſſet, & nullo modo corporeus, cur opus haberet tam variis organis corporeis, quæ à natura ejus tantopere differunt? Ulterius quomodo ſpiritus movere poteſt ſuum corpus, vel ullum membrorum ejus, ſi ſpiritus (prout ipſi affirmant) talis eſt naturæ, ut nulla pars corporis ſui eidem ullatenus reſiſtat, ſicut unum corpus reſiſtere alteri ſolet, cum per

ik-

illud movetur propter impenetrabilitatem ſuam? Si enim ſpiritus tam facile penetrat omnia corpora, quare cum de loco in locum movetur, non poſt ſe relinquit corpus? cum tam facile tranſire queat ſine omni vel minima reſiſtentia? Sane enim hæc cauſa eſt omnium illarum motionum, quas in mundo videmus, cum una res moveat aliam: nimirum quia ambæ ſunt impenetrabiles, ſenſu ſupradicto. Si enim hæc impenetrabilitas non eſſet, creatura una haud movere poſſet aliam, quia hæc illi non opponeretur, nec ullo modo eidem reſiſteret; cujus exemplum habemus in velis navium, per quæ ventus navem impellit, idque tanto vehementius, quo minus foraminum, pororum & tranſituum idem in velis invenit, contra quæ impellitur: Cum è contrario, ſi loco velorum expanderentur retia, per quæ liber vento eſſet tranſitus; navis ſane per iſta parum moveretur, quamvis magna flaret violentia. Hinc videmus quomodo impenetrabilitas iſta cauſetur exiſtentiam, & hæc efficiat motum. Si autem nulla eſſet impenetrabilitas, ſicut in caſu corporis & ſpiritus, tunc nulla poſſet eſſe reſiſtentia, & per conſequens nullus motus corporis per ſpiritum fieri poſſet.

§. 2. Sique hic obiiciant: Deum, qui omnino eſt incorporeus, & intime præſens in omnibus corporibus, movere tamen cor-

po-

pora; quæcumque ipſi placuerint, eumque primum eſſe motorem omnium rerum, & tamen eidem nihil eſſe impenetrabile. Reſpondeo: motum hunc, quo Deus movet corpus aliquod, mirum in modum differre ab illo modo, quo anima movet corpus. Voluntas enim Dei, quæ eſſentiam dedit corporibus, iiſdem etiam dedit motionem, ita ut motio ipſa à Deo ſit, per cujus voluntatem omnis motio contingit. Sicut enim creatura eſſentiam ſibiipſi dare non potest, ita nec movere poteſt ſeipſam. In illo autem ſive per illum movemur, vivimus & ſumus, ita ut motus & eſſentia proveniant ab eadem cauſa Deo creatore: qui in ſeipſo tamen manet immobilis, nec transfertur de loco in locum, quoniam æqualiter ubique præſens eſt, motumque largitur creaturis. Longe autem diverſus eſt caſus, cum anima movet corpus, anima enim non eſt auctor motionis, ſed ſaltem illam determinat ad hanc vel illam rem particularem, & anima ipſa ſimul movetur cum corpore de loco in locum, ſique corpus incarceratur vel catenis detinetur, illa ſe transferre non poteſt è carcere vel catenis. Quare inæqualis admodum hæc eſt comparatio, ſi quis illuſtrare velit motum corporis ab anima factum, per exemplum Dei moventis Creaturas; imo talis eſt hic diverſitas, ac ſi quis demonſtrare vellet, quomodo Architectus navem

vem ſtruat vel domum per exemplum Dei creantis primam ſubſtantiam vel materiam, ubi ſane magna eſt diſſimilitudo; Deus enim Creaturis dabat eſſentiam, lignarius autem eſſentiam non dat ligno è quo navem extruit.

Nemo vero putet, quia dixi: Omnem motionem Creaturæ eſſe à Deo, quod propterea ille ſit, vel eſſe poſſit author vel cauſa peccati. Quamvis enim potentia movendi ſit à Deo, peccatum tamen nullatenus à Deo eſt, ſed a Creatura, quæ abuſa eſt hac poteſtate, illamque determinavit ad aliud quid, quam debebat: ita ut peccatum ſit ἀταξία, vel inordinata determinatio motionis vel potentiæ movendi á debito ſuo loco vel ſtatu in alium: ut ſi verbi gratia navis movetur à vento ſed gubernatur à nauta, ut abeat ad hunc vel illum locum, ubi nauta non eſt author ſive cauſa venti, ſed vento flante hic ſaltem utitur ſive bene ſive male; unde navem deducit vel ad locum propoſitum, adeoque laudatur, vel in brevia illam agit & naufragium patitur, ubi culpatur & pœna dignus eſt.

Porrò, quare ſpiritus ſive anima tam paſſibilis eſt in corporis doloribus? Si enim cùm unita eſt corpore, nihil habet corporeitatis vel corporeæ naturæ, cur vulnerato corpore vulneratur doletque anima, quæ naturæ omnino eſt diverſæ. Cùm enim anima tam facile penetrare poſſit corpus, quomodo res aliqua cor-

corporea eandem lædere poteſt? Si dicatur: ſolum corpus ſentire dolorem, non vero animam: hoc eſt contrarium ipſorum principiis, eo quod affirment, corpus nec vitam habere, nec perceptionem. Si autem admittatur, animam eſſe unius naturæ & ſubſtantiæ cum corpore, quamvis multis gradibus ratione vitæ & ſpiritualitatis corpus præcellat, ſicut etiam in velocitate motionis & penetrabilitate, variiſque perfectionibus aliis: tunc omnes hæ difficultates præmemoratæ evaneſcent, & facile intelligetur, quomodo anima & corpus invicem ſint unita, & quomodo anima moveat corpus, & cum illo atque per illud patiatur. (*Quæ hic ſit ſententia Hebræorum apparet è loco Kabb. denud. Tom. 1. part. 3. diſſert. 8. cap. 13. p. 171. ſeqq.*)

§. 3. Facile enim intelligimus, quomodo unum corpus unitum ſit cum alio per veram congruitatem, quam alterum habet in ſua natura cum altero; atque ſic corpus ſubtiliſſimum & maxime ſpirituale uniri poteſt cum groſſo admodum denſoque corpore, nimirum mediantibus quibuſdam corporibus, quæ participant ſubtilitatem & craſſitiem, juxta varios gradus inter duo extrema exiſtentes: & corpora hæc media revera ſunt fibulæ illæ atque catenæ, per quas anima tam ſubtilis & ſpiritualis cum corpore tam craſſo connectitur. Qui me-

di-

dii ſpiritus, ſi abſint vel ceſſent, unio diſrumpitur, ſic ex eodem fundamento facile intelligimus, quomodo anima moveat corpus, nimirum ſicut corpus unum ſubtile movere poteſt corpus aliud craſſum, atque denſum: cumque corpus ipſum ſit vita ſentiens vel ſubſtantia percipiens; non minus facile concipi poteſt, qua ratione unum corpus vulnerare queat doloremque inferre corpori alii, vel eidem gratificari: quia nempe res unius naturæ vel ſimilis facile ſe invicem attingere poſſunt. Et ad hoc argumentum etiam reduci poſſunt difficultates ſimiles, quomodo nempe ſpiritus moveant ſpiritus alios, & quomodo ſpiritus cum aliis ſpiritibus certent vel luctentur: item de unitate, concordia & amicitia, quam ſpiritus boni inter ſe colunt. Si enim omnes ſpiritus intime præſentes eſſe poſſunt intra ſe invicem, quomodo certare vel luctari poſſunt de loco, & quomodo alius alium expellere poteſt? & tamen quod talis expulſio & lucta ſpirituum detur, & in ſpecie bonorum contra malos, pauci quidem, qui ſua norunt corda, ab experientia norunt. Si autem dicitur: Spiritum Dei & Chriſti intime præſentem eſſe in omnibus rebus, eundemque bellum gerere & certare contra Diabolum ejuſque ſpiritus in corde hominis; Reſpondeo: hoc ſimile etiam

tiam valde esse dissimile, quando nempe Deus & Creatura in operationibus comparantur. Illius enim viæ infinitis modis superiores sunt viis nostris: nihilominus tamen etiam in hoc casu objectio manet valida. Spiritus enim Dei & Christi, quando luctantur contra Diabolum & spiritus malos in corde hominis, sese uniunt cum spiritibus quibusdam bonis, quos sanctificarunt & præpararunt pro hac unione, perque hos, tanquam vehiculum sive currum certant & luctantur contra spiritus malignos: & quatenus hi spiritus mali certant contra spiritus hosce bonos in corde hominis, contra Deum & Christum certant: & boni illi spiritus sunt spiritus ipsius hujus hominis pii vel fidelis, qui factus est bonus, cum antea malus esset; Deusque & Christus quemlibet pium juvant in lucta hac, ut prævaleat spiritibus malis: malos vero & infideles captivari ab iisdem sinit, atque vinci. Neminem enim juvat Deus, nisi qui ipsum timet & amat, eique obedit & credit in potentiam, bonitatem & veritatem ejus; cum tali enim unitus est, bonique spiritus talium hominum totidem quasi sunt tela & gladii, quibus vulnerantur & repelluntur tenebrosi hi & impuri spiritus.

Si autem quæratur: quomodo anima hominis uniri possit cum Deo, licet sit in

ſtatu ſummæ puritatis ; cùm Deus ſpiritus ſit merus, anima autem etiam in ſumma puritate ſua , ſemper particeps ſit corporeitatis ? Reſpondeo : id fieri per Chriſtum Jeſum , qui verum eſt propriumque medium inter utrumque ; Chriſtus autem & anima ſimul uniri poſſunt ſine ullo medio alio, ob magnam , quæ inter illos eſt, affinitatem & ſimilitudinem , qualem illi Doctores oſtendere non poſſunt inter ſpiritum & corpus, qui dicunt , eaſdem naturas habere tam contrarias ſibi invicem.

§ 4. Argumentum quintum deſumam ab eo , quod obſervamus in omnibus corporibus viſibilibus , ut in terra , aqua , lapidibus , ligno , &c. Quanta ſit abundantia ſpirituum in rebus hiſce omnibus : Terra enim & Aqua continue producunt animalia , prout faciebant à principio , ita ut ſtagnum aqua repletum piſces producat , quamvis nulli fuerint impoſiti ad prolificandum. Cumque res omnes aliæ proveniant à Terra & Aqua magis originaliter ; neceſſario ſequitur , ſpiritus omnium animalium eſſe in aqua , & propterea in Geneſi dicitur : Quod Spiritus Dei delatus fuerit ſuper faciem aquarum , ut nimirum ex hiſce aquis proferret , quidquid poſtmodum creabatur.

Si autem dicatur : hoc argumento non pro-

ba-

bari, quod omnes ſpiritus ſint corpora, ſed quod omnia corpora in ſe habeant ſpiritus omnium animalium, ita ut quodlibet corpus in ſe habeat ſpiritum, & ſpiritus tamen & corpus, quamvis ſic unita ſemper maneant diverſa à ſe invicem natura ſua, adeoque in ſe invicem converti nequeant. Ad hoc reſpondeo: ſi quodlibet corpus etiam minimum in ſe habet ſpiritus omnium animalium aliarumque rerum: ſicut materia in ſe habere dicitur omnes formas; Jam quæro: utrum corpus omnes hos ſpiritus in ſe habeat actualiter, an ſaltem potentialiter? Si actualiter, quomodo poſſibile eſt tot ſpiritus eſſentialiter à corpore diſtinctos poſſe actualiter in diſtinctis ſuis Eſſentiis exiſtere in parvo quodam corpore (etiam quod concipi poteſt, minimo) niſi per intimam præſentiam, quæ communicabilis non eſt ulli creaturæ; prout jam eſt probatum. Porro ſi omnes ſpirituum ſpecies ſunt in quolibet corpore, etiam minimo, qui fit, quod tale animal producatur ex hoc corpore, & non aliud? Imo qui fit, quod non omnes animalium ſpecies immediate producantur ex uno eodemque corpore? quod eſt contra experientiam; videmus enim naturam in omnibus operationibus ſuis ſuum habere ordinem, unde unum animal formatur ab alio: & una ſpecies procedit ab alia: ſi aſcendit, ad ulteriorem perfectionem;

ſi

ſi deſcendit, ad ſtatum viliorem. Si autem dicant: omnes quidem ſpiritus contineri in quolibet corpore, non actualiter in diſtinctis ſuis Eſſentiis, ſed tantum potentialiter, prout ipſi appellant: tunc concedendum eſt, quod corpus & omnes illi ſpiritus ſint idem, id eſt, quod corpus in eoſdem ſit convertibile: ut cum dicimus: lignum potentialiter eſſe ignem, ideſt, convertibile in eundem; aquam potentialiter eſſe aërem, id eſt, convertibilem in eundem &c.

Sed porro, ſi ſpiritus & corpora tam inſeparabiliter ſunt inter ſe unita, ut nullum corpus eſſe poſſit ſine ſpiritu, imo non ſine multis ſpiritibus; magnum ſane eſt argumentum, quod unius ſint naturæ originariæ & ſubſtantiæ; alias capere non poſſemus, quare in tam variis miriſque rerum diſſolutionibus & ſeparationibus non tandem ab invicem ſeparentur, ſicut videmus res ſubtiliores ſeparari poſſe à craſſioribus.

Tandem autem unde ſit, quod cum corpus corrumpitur, ex iſta corruptione alia rerum ſpecies generetur? ſic ex aqua corrupta vel terra proveniunt animalia; imo lapides, ſi putreſcunt, in animalia abeunt. Ita fimus vel alia materia putrida animalia generat, quæ omnia ſpiritus habent: quomodo corruptio ſive diſſolutio corporis ad novam generationem tendit & quidem animalium? ſi dicatur; ſpiritus iſtorum animalium per hanc

dissolutionem quasi solvi à vinculis suis, ponique in libertatem, illosque deinde virtute sua plastica sibi ipsis formare & fingere novum corpus ex prædicta materia. Ad hæc respondeo: quomodo corpus primævum tantopere ipsos tenebat captivos? An ex eo, quod durum esset atque densum? Exinde sane manifestum erit, istos spiritus nihil aliud esse, quam corpora subtilia, quia duritiei & densitas corporis eosdem poterat incarcerare, ut transire non possent. Si enim spiritus tam facile penetrare posset corpus durissimum, quam mollissimum & fluidissimum, sane tam facile abiret ex uno quam ex altero, nec opus esset corruptione vel morte ad novam generationem atque vitam. Hæc ergo captivitas spirituum in nonnullis corporum speciebus, quæ dura sunt, eorumque liberatio, cum corpora abeunt in mollitiem, manifestum præbent argumentum: quod spiritus & corpus originaliter unius sit naturæ & substantiæ, quodque corpus nihil sit, quam spiritus fixus & condensatus, & spiritus nihil quam corpus volatile, vel factum subtile.

§. 5. Et hic notetur, quod in omnibus corporibus duris, ut in lapidibus, sive communibus, sive pretiosis, & sic etiam in metallis, herbis, arboribus & animalibus, & in corporibus omnium hominum non tantum plurimi spiritus existant, qui quasi in carcera-

rati ſunt in corporibus craſſis, cumque ipſis uniti, quam ob cauſam etiam emanare & evolare non poſſunt in corpora alia, donec mors vel diſſolutio ſuperveniat; ſed etiam plurimi ſpiritus inſint alii admodum ſubtiles, qui continuo ab iisdem emanant, & quos ob ſuam ſubtilitatem durities corporis, in quo latent, detinere nequit. Et hi ſpiritus ſubtilores productiones ſunt, ſive futuræ ſpirituum craſſiorum in corpore detentorum; quamvis enim hi inibi detineantur, non tamen otioſi ſunt in carcere ſuo, ſed corpora eorum quaſi officinæ ipſis ſunt, ut ſubtiliores hos ſpiritus efficiant, qui deinde emanant in coloribus, ſonis, odoribus, guſtibus & virtutibus atque potentiis variis aliis: unde craſſum illud corpus, ſpirituſque in eo contenti, quaſi mater ſunt ſpirituum ſubtiliorum qui liberorum locum habent: Natura enim ſemper operatur ad majorem perfectionem ſubtilitatis & ſpiritualitatis, prout hæc eſt proprietas maxime naturalis omnis operationis & motionis. Omnis enim motio atterit & dividit & ſic rem facit ſubtilem & ſpiritualem. Et ſic in corpore humano cibus & potus primo mutatur in chylum, deinde in ſanguinem, poſt modum in ſpiritus, qui nihil ſunt quam ſangvis in perfectionem deductus: iſtique ſpiritus ſemper procedunt ad majorem ſubtilitatem, vel ſpiritualitatem, ſive boni, ſive mali. Perque iſtos ſpiritus,

qui proveniunt è ſanguine, videmus, audimus, odoramur, guſtamus, palpamus & ſentimus, imo & meditamur, amamus, odimus & omnia agimus, quæcunque agimus: & ab his etiam provenit ſemen, per quod humanum genus propagatur: & in ſpecie hinc provenit vox & loquela hominis, quæ plena eſt ſpiritibus, factis vel formatis in corde, ſive boni ſint, ſive mali; ſicut Chriſtus docuit: *Quod ex plenitudine cordis os loquatur, quodque vir bonus è bono theſauro cordis ſui res bonas producat &c.* Item, quod non illud, quicquid in hominem intrat, eundem inquinet, ſed illud, quod ab illo prodit. Sicuti enim ex eo prodeunt, ita in eum iterum regrediuntur.

§. 6. Atque hi ſunt Angeli hominum proprii, ſive miniſtratorii ſpiritus (quamvis & alii dentur Angeli, tam boni, quam mali, qui ad homines veniunt) de quibus Angelis Chriſtus dicit, cum loquitur de parvulis in ipſum credentibus: *Angeli illorum ſemper vident faciem Patris mei cœleſtis.* Qui ſunt Angeli credentium, qui evadunt quaſi parvuli infantes.

§. 7. Argumentum ſextum & ultimum producam à quibusdam ſcripturæ textibus tam veteris quam Novi Teſtamenti, qui planis expreſſiſque verbis probant, omnia habere vitam & in aliquo gradu revera vivere. Ut cum Act. 17; 27. dicitur: *Ipſe omnibus dat*

dat vitam &c. deinde 1. Tim. 6: 13, de Deo dicitur: *Quod omnia vivificet.* Porro Luc. 20: 38. *Non mortuorum dicitur Deus ſed viventium* (quod quamvis primario intelligendum ſit de hominibus, in genere tamen etiam verum eſt de omnibus reliquis) Nimirum ille eſt Deus rerum illarum, quæ ſuam habent reſurrectionem vel regenerationem in ſua ſpecie, non minus quam homines habent in ſua ſpecie. Mors etenim rerum non eſt annihilatio illarum, ſed mutatio ab una ſpecie & gradu vitæ in aliam: Quare etiam Apoſtolus Reſurrectionem mortuorum probat & illuſtrat à grano tritici, quod in agrum prolapſum moritur atque reſurgit frug'ferum ad modum.

CAP. IX.

§. 1. *Illi, qui dicuntur Philoſophi omnium generum, Philoſophiæ ſuæ generaliter pravum poſuerunt fundamentum. & propterea totam illius ſtructuram labi oportet.* §. 2. *Philoſophia hic tractata non eſt Carteſianarum.* §. 3. *nec falſo ita ficta Philoſophia Hobbeſii & Spinoſæ, ſed è Diametro ipſis oppoſita.* §. 4. *Quod illi, qui hactenus nixi ſunt refutare Hobbeſium & Spinoſam nimium ipſis reliquerint ſpatium.* §. 5. *Hæc Philoſophia efficaciſſima eſt ad refutandam Hobbeſianam & Spinoſianam, ſed alia methodo.*

§. 6. Hic plane aliam intelligerem, per Corpus & materiam, quam Hobbesius intelligit, quæque nec Hobbesio nec Spinosæ vel in somnio unquam visa fuit. §. 7. Vita tam realiter & proprie est attributum corporis quam figura. §. 8. Figura & vita distincta sunt unius rei attributa, sed non contraria §. 9. Mechanica motio & actio vel perfectio vitæ distinguit res.

§. 1. EX hisce quæ modo sunt dicta, diversisque rationibus prolata, quod nempe spiritus & corpus originaliter in prima substantia tantum sint unum & idem, evidenter apparet, quod ita dicti Philosophi, qui aliter docuerunt, tam antiqui quam moderni generaliter erraverint pravumque statim in principio posuerint fundamentum, unde tota ipsorum domus atque superstructio tam est debilis & profecto tam inutilis, ut totum ædificium suo tempore cadere oporteat. E quo fundamento tam absurdo errores plurimi alii crassissimi prodierunt atq; periculosissimi non tantum in Philosophia, sed etiam in Theologia sic dicta cum magno humani generis damno, veræ pietatis impedimento, nominisque Dei glorioſissimi contemtu, prout facile apparebit tam ex iis, quæ jam dicta sunt, quam ex iis quæ nunc dicentur in isto capite.

§. 2. Et nemo nobis objiciat, quasi omnis hæc Philosophia nihil sit, quam Cartesia-

pri-

niſmus vel Hobbe ianiſmus ſub larva nova. Primo enim quod ad Carteſianam attinet Philoſophiam, hæc omne corpus merum dicit eſſe maſſam mortuam, non tantum vita & perceptione carentem cujuſcunque illa fuerit ſpeciei, ſed & penitus ejnſdem etiam incapacem in omnem æternitatem. Magnusque hic error etiam iis omnibus imputandus eſt, qui corpus & ſpiritum dicunt eſſe res contrarias inter ſe invicem inconvertibiles, ita ut corpori omnis denegetnr vita & perceptio, quod fundamentis hujus noſtræ Philoſophiæ omnino contrariatur. Quapropter tantum abeſt ut illa ſit Carteſianiſmus ſub larva nova, ut potius veriſſime dici queat Ante-Carteſianæ, reſpectu principiorum ſuorum fundamentalium; quamvis negari nequeat, quod Carteſius multa docuerit egregia & ingenioſa de parte Mechanica naturalium operationum, & quomodo omnes motiones naturales procedant ſecundùm leges regulaſque mechanicas, prout revera Natura ipſa, id eſt, Creatura mechanicam egregie callet, & ſapientiam in ſe habet; (datam à Deo, qui fons eſt omnis ſapientiæ) perquam operatur. Verumenimvero in natura & operationibus ejus longe ſunt plura, quam mere mechanica, & illa non eſt corpus mere organicum horologio ſimile, cui non ineſt vitale principium motus. Sed illa vivum eſt corpus, habens vitam & perceptionem, quod

longe ſublimius eſt quam merus mechaniſmus ſive motio mechanica.

§. 3. Quod autem ſecundo attinet ad Hobbianiſmum ille ſane huic noſtræ Philoſophiæ adhuc magis eſt contrarius, quam Carteſianiſmus. Cum enim Carteſius agnoverit Deum eſſe plane immaterialem & incorporeum ſpiritum; Hobes affirmat Deum ipſum eſſe materialem & corporalem, imo nihil aliud quam materiam & corpus; atque ſic Deus & Creaturæ confunduntur in eſſentiis ſuis, negaturque eſſentialem inter ipſas intervenire diſtinctionem. Hæc & plurima alia, quæ peſſimæ ſunt conſequentiæ dictata ſunt Philoſophiæ Hobbianæ cui etiam addi poteſt Spinoſianæ, hic enim Spinoſa ſcilicet Deum ibidem confundit & creaturam, & unum ſaltem ens ex utroque facit, quæ omnia diametraliter oppoſita ſunt Philoſophiæ á nobis hic traditæ.

§. 4. Infirma autem & falſa principia quorundam, qui auſi ſunt falſo ita dictam Philoſophiam Hobbeſii & Spinoſæ refutare, nimium hiſce conceſſerunt ſpatium contra ſemetipſos; ita ut non tantum non refutaverint cum effectu adverſarios ſuos, ſed & riſui ac contemtui magis ſe expoſuerint.

Si autem porro objiciatur: Hanc noſtram Philoſophiam ad minimum in hoc ſimilem videre Hobbianæ, quod omnes creaturas quam unam originaliter ſtatuit eſſe ſubſtantiam

tiam ab infima maximeque ignobili uſque ad ſummam & nobiliſſimam, & à minimo quodam reptili vermiculoque & muſca ad glorioſiſſimum quendam Angelum, imo in minimo pulviſculo atque ſabulo ad creaturarum omnium excellentiſſimam. Deinde & hoc, quod quælibet creatura ſit materialis & corporea, imo ipſa materia ſive corpus quodque per conſequens vel nobiliſſimæ illius actiones ſint materiales & corporeę, vel ſecundum corporeum quendam modum. Jam reſpondeo ad primum, me concedere, quod omnes creaturæ originaliter una ſint ſubſtantia ab ima ad ſummam & conſequenter convertibiles & mutabiles ex una naturarum ſuarum in aliam: & quamvis Hobbes idem dicat, id tamen nihil præjudicat veritati. Sicuti nec aliæ partes ipſius Philoſophiæ, ubi rem quandam veram Hobbes affirmat, propterea Hobbeſianiſmus eſt.

§. 5. Interea autem hoc principium tantum abeſt, ut ipſi in erroribus ſuis quidquam auxilietur, ut potius nihil ſit tam validum quaſi hoc ad ipſius refutationem. Nam exempli cauſa Hobbiſtæ argumentantur res omnes eſſe unam, quia videmus res omnes viſibiles converti poſſe in ſe invicem, imo quod res viſibiles converti poſſent in inviſibiles, ut cum ex aqua fit aër & lignum combuſtum pro maxima ſui parte con-

vertitur in inviſibile quid, quod tam eſt ſubtile, ut omnem ſenſuum noſtrorum obſervationem fugiat. Quo etiam pertinet, quod res inviſibiles fiant viſibiles, ut cum ex aëre provenit aqua, &c. Atque hinc ille concludit, nihil eſſe tam humile, quod non poſſit pertingere ad ſummitatem.

Ut jam ad argumentum hoc reſpondeatur, adverſarii ejus generaliter negant antecedens, & è contrario affirmant, nullam rerum ſpeciem convertibilem eſſe in aliam: cumque lignum comburitur, plurimi dicunt, lignum eſſe compoſitum è duabus ſubſtantiis, materia nempe & forma: & materiam quidem manere eandem, formam vero ligni deſtrui vel annihilari, novamque formam ignis produci in hac materia, ita ut ſecundum illos continua hic ſit annihilatio ſubſtantiarum realium, novarumque productio in hoc mundo. Hoc autem tam eſt inane, ut multi alii idipſum pernegent in caſu ligni mutari in ignem & poſtmodum in fumum & cineres. Iidem tamen continuo pergunt in eodem errore in tranſmutationibus aliis, ut cum lignum mutatur in animal quoddam, prout ſæpe videmus, qua ratione ex ligno putrido imo etiam ex ſtercore naſcantur creaturæ viventes. Hic ergo iſti negant, lignum mutatum eſſe in animal; lignum enim dicunt nihil eſt quam materia, materia autem vi-

tam

tam non habet, nec capacitatem ad vitam ſive perceptionem, & propterea hoc animal, quod vitam habet & perceptionem, vitam ſuam aliunde habere oportet, oportetque in ſe habere ſpiritum vel animam, quæ non fuerit pars corporis, quæque ab eo non proceſſerit, ſed illuc ſit immiſſa. Si autem ex iis quæritur, unde hic ſpiritus mittatur, vel quis illum mittat? item quare hic ſpiritus iſtius ſpeciei mittatur, & non ſpiritus ſpeciei alius? Hic omnino ipſis hæret aqua, inque eo adverſariis ſuis ſemet proſtituunt.

Ad refutandam ergo & fortius Hobbianam & Spinoſianam Philoſophiam hæc noſtra Philoſophia antecedens concedit, videlicet quod omnes creaturarum ſpecies converti poſſint invicem, ita ut ima fiat ſumma, & ſumma (ut in propria ſua natura ab origine erat) in imam, nimirum ſecundùm curſum atque ſucceſſionem illam, quam divina ſapientia ita diſpoſuit, ut una mutatio certo ordine ſequatur aliam: ita ut A primo convertendum ſit in B. antequam converti poſſit in C. quodque autem convertendum in C. prius quam converti poſſit in D. &c.

Negamus autem conſequens, nimirum, quod Deus & Creaturæ una ſint ſubſtantia. Nam in omnibus tranſmutationibus creaturarum ab una ſpecie in aliam; ut à lapide ad terram, à terra ad gramen, à gramine

ad ovem, ab ove ad carnem humanam, à carne humana ad ſpiritus hominis maxime ſerviles, & ab hiſce ad ſpiritus hominis nobiliſſimus nunquam progreſſus fieri poteſt & aſcenſio ad Deum uſque, qui omnium entium eſt ſupremum, & cujus natura in infinitum ſemper creaturam ſuperat etiam in ſummo ſuo gradu conſtitutam. Natura enim Dei immutabilis eſt omnibus modis, ut ne ultimam quidem mutationis umbram admittat: Creaturæ autem hæc eſt natura, quod mutabilis ſit.

§. 6. Secundo, quando in objectione dicitur quod per hanc Philoſophiam quælibet creatura ſit materialis & corporea, imo materia ipſa, ipſumque corpus, ſicut docet & Hobbes; Jam reſpondeo, quod per materiale & corporeum, ut & per materiam & corpus hic res longè alia intelligatur, quam Hobbes intelligit, quæque nec Hobbeſio nec Carteſio unquam vel per ſomnium occurrit. Quid enim illi intelligunt per materiam & corpus? vel quæ attributa iiſdem adſcribunt? Nulla ſane alia quam ſequentia, ut ſunt: extenſio & impenetrabilitas; quæ tamen unum tantum ſunt attributum, prout & figurabilitas & mobilitas reduci poſſunt ad primum. Supponamus autem hæc eſſe attributa diſtincta; nihil ſane hoc proficit, nec unquam hæc efficient, ut intelligamus, quidnam ſit inſignis iſta ſubſtantia, quam ipſi corpus vocant & materiam. Non enim ultra putamen

te-

teſtamve procedunt nec unquam attingunt nucleum. Superficiem enim ſaltem tangunt, centro nunquam conſpecto: excellentiſſima enim & nobiliſsima iſtius ſubſtantiæ attributa, quam ipſi materiam vocant & corpus, plane ignorant, nihilque de illis intelligunt.

Si autem quis quærat: quænam ſint excellentiora hæc attributa? Reſpondeo, hęc eſſe ſequentia: Spiritum vel vitam, & lumen, ſub quo comprehendo capacitatem omnium modorum ſentiendi, perceptionisque & cognitionis, nec non amoris, omniſque poteſtatis & virtutis, gaudiique & fruitionis, quam nobiliſſimæ creaturæ habent vel habere poſſunt, ita ut etiam viliſſima creatura & maxime contemta, imo pulvis & arena capax ſit omnium iſtarum perfectionum; nimirum per varias tranſmutationes ſibi invicem ſuccedaneas, quæ juxta naturalem rerum ordinem longas requirunt temporum periodos pro conſummatione ſua: quamvis abſoluta Dei poteſtas, ſi ipſi id ita placuiſſet, ea omnia accelerare, unicoque momento in effectum deducere potuiſſet. Sed ſapientia iſta Dei rem ita potius videt eſſe congruam, ut omnia procedant naturali ſuo curſu & ordine, utque hoc modo fertilitas illa, quam ipſe ſingulis entibus indidit, appareat; & creaturæ ſpatium habeant, operando ſeipſas ad majorem ſemper perfectionem provehere, tanquam

quam inſtrumenta divinæ ſapientiæ, bonitatis & poteſtatis, quæ in ipſis operatur & cum ipſis: in eo enim creatura majori fruitur gaudio, cùm id quod habet, tanquam fructum ſui laboris poſſidet.

Hæc autem capacitas prædictarum perfectionum diſtinctum omnino eſt attributum à vita & perceptio omnino diſtinctæ ſunt ab priori: id eſt, extenſione & figura, atque ſic etiam actio vitalis plane diſtincta eſt à motione locali aut mechanica, quamvis ab eadē nec ſeparata ſit, nec ſeparabilis; ſed eadem ſemper utatur tanquam inſtrumento ſuo, ad minimum in omni concurſu ſuo cum creaturis.

§. 7. Dixi Vitam & Figuram diſtincta eſſe attributa unius ſubſtantiæ, & ſicut unum idemque corpus tranſmutari poteſt in omnes figurarum ſpecies; & ſicut figura perfectior comprehendit imperfectiorem: eadem ratione unum idemque corpus tranſmutari poteſt ab uno vitæ gradu ad alium perfectiorem, qui ſemper in ſe comprehendit inferiorem. Exemplum figuræ habemus in priſmate triangulari, quæ eſt figura prima omnium corporum ſolidorum rectilinearium, in quam corpus eſt convertibile; & ab hoc in cubum quæ eſt figura perfectior, & in ſe comprehendit priſma. A cubo converti poteſt in aliam figuram perfectiorem, quæ propius accedit ad globum, & ab hac in aliam, quæ adhuc

huc proximior est ; & sic ascenditur ab una figura imperfectiore ad alteram perfectiorem in infinitum : hic enim nulli sunt limites, ut dici queat ' corpus hoc non potest mutari in figuram perfectiorem. Sensus autem est, corpus illud consistere è planis rectis lineis; hoc enim semper mutabile est in figuram perfectiorem , & nunquam tamen pertingere potest ad perfectionem globi , quamvis semper ad eundem accedat vicinius. Eodem modo res se habet circa varios vitæ gradus , qui principium quidem habent, non autem finem ; ita ut creatura capax sit ulterioris & perfectioris gradus vitæ , idque magis semper magisque in infinitum , & nunquam tamen pertingere potest ad æqualitatem cum Deo; sed iste semper infinities est perfectior quam creatura in summa sua elevatione , sicut globus perfectissima est omnium reliquarum figurarum, ad quam nemo accedere potest.

§. 8. Atque sic figura & vita distincta quidem sunt, sed non contraria unius ejusdemque substantiæ attributa , & figura inservit operationibus vitæ,prout videmus in corpore humano & brutali , quomodo figura oculi inserviat visui,figura auris audiui,figura oris,dentium, labiorum & linguæ loquelę , figura manuum & digitorum operationi,figura pedum deambulationi , & sic figuræ reliquorum membrorum omnium se habent, plurimumque conferunt

runt ad operationes vitales, perficit quas ſpiritus in hiſce membris, imo figura totius corporis magis commodo eſt ad proprias illas operationes vitæ hominis, quam ulla alia figura, qualiſcunque illa fuerit, ſeu qualitercunque illa facere poſsit, ita ut figura & vita optime conſiſtant invicem in una ſubſtantia vel corpore, ubi figura eſt inſtrumentum vitæ, ſine quo nulla operatio vitæ perfici poteſt.

§. 9. Similiter motio localis & mechanica, id eſt, latio corporis de loco in locum eſt modus vel operatio diſtincta ab actione vel operatione vitæ, quamvis etiam ſint inſeparabiles, ita ut actio vitalis minime eſſe poſſit ſine omni motione locali, quia hæc illius eſt inſtrumentum. Sic oculus videre non poteſt, niſi cum lumen intraverit; quod eſt motio, & actionem vitalem in oculo excitat, quæ eſt viſio, & ſic in omnibus aliis operationibus vitalibus in toto corpore. Sed actio vitæ longe nobilior & divinior eſt operandi modus, quam localis eſt motio, & ambæ tamen competunt uni ſubſtantiæ, & bene invicem conſiſtunt. Nam ſicut oculus lumen accipit intra ſe ab extra ab objecto, quod videt, ita idem emittit lumen vel ſpiritum ad objectum, & in hoc lumine & ſpiritu actio eſt vitalis, quę objectum & viſum inſimul unit.

Quare Hobbes omneſque alii qui á partibus ejus ſunt, graviter errant, dum ſtatuunt ſenſum & perceptionem nihil eſſe aliud quam

rea-

reactionem particularum corporearum ſuper ſe invicem. Ubi per reactionem non aliam intelligit motionem, quam localem ſeu mechanicam. Senſus enim revera & perceptio res eſt longe nobilior atque divinior quam ulla motio localis vel mechanica qualiumcunque particularum. Eſt enim motio vel actio vitæ, quæ altera hac utitur, tanquam inſtrumento ſuo, cujus ſervitium in eo conſiſtit, quod excitet actionem vitalem in ſubjecto vel percipiente. Poteſtque tanquam motio localis tranſmitti per varia corpora, quamvis admodum à ſe diſtantia, quę propterea uniuntur, idque ſine ulla nova tranſgreſſione corporis vel materiæ. Exempli cauſa, ſuper trabem ligneam eximiæ longitudinis, quæ moveatur altero extremo à Borea ad Auſtrum, ubi alterum extremum neceſſario etiam movebitur, & actio quidem tranſmittitur per totam trabem ſine ullis particulis materiæ huc miſſæ ad promovendam motionem ab uno extremo ad alterum, quia trabs ipſa per ſe ſufficit ad tranſmittendam prædictam motionem. Eodemque modo actio vitæ progredi poteſt ſimul cum motione locali ab una re ad aliam, ubi congruum datur medium illam tranſmittendi, idque in magnam uſque diſtantiam. Atque hic obſervare licet divinam quandam ſpeciem ſpiritualitatis vel ſubtilitatis in omni motione & ſic in omni actione vitæ, cujus nulla creata ſubſtantia vel corpus eſt capax, nimirum per

inti-

intimam præſentiam, quæ ut ſupra probatum eſt, nulli competit ſubſtantiæ creatæ, & omni tamen competit motioni & actioni qualicunque. Motio enim vel actio non eſt materia quædam vel ſubſtantia, ſed ſaltem modus ejus eſſendi: & propterea intime præſens eſt in ſubjecto ſuo, cujus modus eſt, poteſtque tranſire de corpore in corpus ad magnam uſque diſtantiam, ſi invenerit medium aptum, per quod tranſmittatur: Quoque fortior eſt motio, eo longius pertingere poteſt. Ita cùm lapis projicitur in undas ſtagnantes motionem cauſatur undequaque à centro ad circumferentiam in magnam uſque diſtantiam circulos faciens majores ſemper atque majores, quo longius iſte modus, donec tandem à conſpectu noſtro evaneſcat: atque tunc procul dubio adhuc circulos facit plures inviſibiles etiam longiori temporis ſpatio, quos propter hebetudinem ſenſuum noſtrorum apprehendere non poſſumus. Atque hic motio tranſmittitur à centro ad circumferentiam abſque ullo corpore vel ſubſtantia deferente, quæ à lapide hanc motionem ſecum vehat. Et ſicut etiam lumen externum, cum ſaltem ſit actio vel motio excitata à luminoſo quodam corpore tranſmitti poteſt per aquam, vitra, criſtallum, vel aliud quodcunque corpus diaphanum, à nulla ſubſtantia, corpore vel materia delata a luminoſo illo corpore, à quo prædicta actio provenit. Non quaſi negarem ma-

materiam ſubtilem' abundantiſſimam continuo emanare ab omnibus corporibus luminoſis, ita ut tota ſubſtantia candelæ ardentis conſumatur in tales emanationes: atque hæc motionem vel actionem illam in ſe habeat, quam appellamus lumen, ſed hæc actio vel motio augeri poteſt verbi gratia, per criſtallum, ubi ſubtiles iſtæ emanationes corporum cohiberi poſſunt, ne tranſeant ad minimum in tanta abundantia, quæ ſufficiat ad communicandum totum lumen. Criſtallus enim qui facillime lumen tranſmittit, cum tam dura ſit & ſolida, quomodo recipere poteſt tot corpora, eaque tam facile per ſe tranſmittere, cum alia corpora nec tam dura, nec tam ſolida illa ſuſtineant. Lignum enim nec tam durum eſt, nec tam ſolidum ut criſtallus, & tamen criſtallus tranſparens eſt, lignum vero non. Et certe lignum poroſius eſt criſtallo, quia minus eſt ſolidum, & conſequenter lumen non venit per poros criſtalli, ſed per ipſam ejus ſubſtantiam, idque ſic, ut tamen eidem non adhæreat, vel aliquam hic efficiat turgeſcentiam, ſed per intimam quandam præſentiam, eo qnod non ſubſtantia ſit vel corpus, ſed mera actio vel motio. Jam vero criſtallus eſt medium commodius ad recipiendam hanc motionem, quam vocamus lumen quam lignum eſt, & hinc fit, quod hoc tranſeat per illam & non per hoc, atque ſic prout magna eſt diverſitas motionum &

ope-

operationum corporum, ita quælibet motio requirit proprium ſuum medium, per quod tranſmittatur. Manifeſtum eſt igitur, quod motio tranſmitti queat per varia corpora, per aliam ſpeciem penetrationis, quam ullum corpus vel materia quantæcunque illa fuerit ſubtilitatis efficere queat, nimirum per intimam præſentiam. Et ſi motio localis vel mere mechanica id facere poteſt; ſane actio vitalis, quæ nobilior eſt motionis ſpecies, idem præſtare poteſt; ſique penetrare poteſt corpora, per quæ tranſit per intimam præſentiam, tunc vel unico momento tranſmitti poteſt ab uno corpore in aliud, imo potius, nullo omnino tempore indiget. Intelligi autem velim motionem vel actionem ipſam non indigere tempore, imo ne minimo quidem ut tranſmittatur: quamvis impoſſibile ſit, quin corpus, in quo motio ferri debet de loco in locum, habere debeat aliquod tempus, ſive majus, ſive minus ſecundum ſpeciem corporis motuſque vehementiam, quæ illud transfert.

Ideoque videmus, quomodo omnis motio & actio abſtracte conſiderata miram habeat in ſe ſubtilitatem vel ſpiritualitatem ſuper omnes ſubſtantias creatas, qualeſcunque illæ fuerint, ita ut nec locus nec tempus illas limitare queat: & nihil tamen ſunt aliud, quam modi ſubſtantiarum creatarum, nimirum illarum robur, poteſtas, & virtus, per quas extendi queant in magnas ſubſtantias, præter id quod ipſa ſubſtantia facere poteſt. Atquë

Atque sic distinguere possumus extensionem in materialem & virtualem, quam duplicem extensionem quælibet creatura habet. Materialis ergo extensio est illa, quam materia, corpus vel substantia ipsa habet, præscindendo ab omni motione vel actione: & hæc extensio proprie loquendo, neque major neque minor est, dum eadem semper permanet. Extensio virtualis est motio vel actio, quam Creatura habet sive immediate á Deo datam, sive immediate receptam à creatura quadam socia. Illa autem, quam immediate habet à Deo (à quo etiam habet suam essentiam) quæque naturalis est & proprius effectus essentiæ ejus, magis proprie loquendo creaturæ est motio propria, quia procedit ab interioribus ejusdem: et propterea vocari potest interna motio, ut distinguatur ab illa externa, quæ saltem ab alio est, & propterea respectu illius vocari potest peregrina. Cumque prædicta externa motio corpus deferre conatur ad locum, vel rem aliquam quo per naturam propriam non inclinat, tunc violenta est & præternaturalis: ut cum lapis sursum projicitur in aërem, quæ motio præternaturalis & violenta plane est localis & mechanica & nullatenus vitalis, quia non procedit à vita rei ita moræ. Quælibet autem motio, quæ procedit à propria vita & voluntate creaturæ vitalis est, & hanc voco motionem vitæ; quæ non plane localis est

& mechanica, ſicut altera, ſed in ſe habet vitam virtutemque vitalem. Et hæc eſt virtualis extenſio creaturæ, quæ vel major eſt vel minor, ſecundum ſpeciem ſuam vel gradum vitalem, quo dicta creatura eſt prædita. Cum enim creatura pervenit ad nobiliorem ſpeciem & gradum vitæ, tunc majorem accipit potentiam & virtutem ſeipſam movendi & trans mittendi vitales ſuas motiones in maximam diſtantiam.

Sed quomodo motio vel actio tranſmitti queat de uno corpore in aliud magna eſt inter multos quæſtio, quia nempe non eſt ſubſtantia vel corpus; ſique tantum eſt motus corporis, quomodo motus tranſire poteſt de proprie ſuo ſubjecto in aliud, eo quod ipſa eſſentia ſive entitas modi in hoc conſiſtat, ut inhæreat vel inexiſtat ſuo corpori. Reſponſio ergo, quæ mihi videtur optima ad hanc objectionem hæc eſt: quod motio non propagatur ab uno corpore ad aliud, motione locali, quia motio ipſa non movetur, ſed ſaltem movet corpus, in quo eſt. Et ſi motio propagaretur motu locali, motio hæc porro propagaretur ab alia, & hæc iterum ab alia, & ſic in infinitum, quod eſt abſurdum. Modus ergo iſtius propagationis eſt per realem productionem vel creationem, ut ita dicam; ita ut ſicut Deus & Chriſtus ſolummodo creare poteſt ſubſtantiam alicujus rei, cum nulla creatura entitatem creare vel dare

poſ-

poſſit ali cui ſubſtantiæ, ne quidem tanquam inſtrumentum: Ita creatura non à ſeipſa ſed ſubordinate reſpectu Dei, tanquam hujus inſtrumentum dare poteſt exiſtentiam motioni & vitali actioni; atque ſic motio in una creatura producere poteſt motionem in alia creatura: & hoc illud omne eſt, quod creatura facere poteſt ad movendam ſeipſam vel creaturam ſuam ſociam, tanquam Dei inſtrumentum: Per quas motiones non nova creatur ſubſtantia, ſed ſaltem novæ ſpecies rerum, ita ut creaturæ multiplicentur in ſpeciebus ſuis, dum una agit ſuper aliam, vel alia aliam movet: atque hoc totum eſt opus creaturæ vel Creationis tanquam inſtrumenti Dei. Si autem movetur contra voluntatem ejus, cujus inſtrumentum eſt, tunc peccat & pro eo punitur. Sed Deus non eſt cauſa peccati, ſicut ſupra declaratum eſt, quia cum creatura peccat, poteſtate illa abutitur, quam Deus ipſi conceſſit: adeoque Creatura culpabilis eſt, Deuſque omnino liber eſt, ab omni hujusrei macula vel umbra.

Si ergo jam applicemus ea, quæ jam declarata ſunt de attributis corporis, nimirum quod non tantum habent quantitatem & figuram, ſed & vitam, moverique poſſit non ſolum mechanice & localiter, verum vitaliter, poteſtque transmittere vitalem ſuam actionem, quocunque velit, ſicubi habeat medium diſpoſitum, ſique nullum habet, extendere ſe-

ip-

ipſam poteſt per ſubtilem emanationem ſuarum partium, quod illius eſt medium, qnod commodiſſimum & maxime proprium eſt ad recipiendam & transmittendam actionem ejus vitalem.

Per hęc omnia facile reſponderi poteſt ad omnia argumenta, quibus aliqui probari volunt, corpus omnino incapax eſſe ſenſus vel perceptionis: moduſque facile oſtendi poteſt, quomodo corpus aliquod gradatim pervenire queat ad iſtam perfectionem, ut non ſolum capax ſit talis perceptionis & cognitionis, qualem bruta habent, ſed qualiſcunque perfectionis, quę in ullum hominem vel Angelum cadere poteſt, atque ſic non refugiendo ad coactam aliquam Metaphoram intelligere poterimus verba Chriſti, quod è lapidibus Deus excitare poſſit Abrahæ liberos. Et ſi quis negare velit iſtam Dei omnipotentiam, quod etiam ab externis lapidibus excitare poſſit filios Abrahæ, id ſane præſumtio foret maxima.

FINIS.

cur siti, cur ærumnis, cur vitiis, cur defectibus innumeris animata pariter atque inanimata ante omne peccâtum à Deo cruciari & deturpari vis? Denique hoc ipsum, ut ante dixi, *quòd Animalia, cæteraque Corpora etiam inanima ratione, lumineque careant; maximam omnium miseriam esse*, Plato contendit. Quam sanè miseriam ex solo peccato non per Animalia quidem, nec per Plantas, aut Metalla, sed per singula entia ex quibus Animalia, Plantæ, Metallaque constant, perpetrato causari potuisse Platonici volunt, & multis de causis per principia vestra minimè refutandis volunt.

Hispanus. Quibus de causis?

Gallus. 1. Quia omne ens creatum essentialis est participatio divinæ naturæ quæ tota in notione consistit. 2. Quia Deus nihil operari potest nisi propter unam gloriam suam, adeòque propter claram sui notitiam; & tamen nulla Creatura est, quam Deus solam condere non possit: quæque proinde Divinitatem nosse, contemplarique non valeat. 3. Ut Deus in agendo bonus demonstretur, nil, nisi quod bonum sit, agere dicendus est; & tamen si multa Entia per se, atque intrinsecè aliena essent a notione, & ratione; ea verè, ac propriè, per se, atque intrinsecè bona non essent: eò quod ad veram beatitatem, sine quâ nulla prorsùs bonitas est, & unde omnis bonitas pendet, ineptissima essent.

Hiſpanus. Alienæ bonitati, ſeu felicitati procurandæ inſerviunt.

Gallus. Atqui nequaquam id eſſe poſſe Platonici judicant. Quomodo enim, ajunt, alteri bonum erit; quod ſibi eſſentialiter, atque intrinſecè inutile eſt? Profectò ut Deus ſibi primúm, deinde aliis bonus & utilis eſt; ita quodlibet ens creatum, utpote veriſſima Divinitatis imago, & imitatio ſibi primùm, deinde aliis bonum, & utile debet eſſe.

Hiſpanus Ergone Platonici *Terram*, *Sydera*, *Plantas*, & *Animalia* negant eſſe bona?

Gallus. Quidquid in Terrâ, Syderibus, Plantis, Animalibus, cæteriſque Corporibus *poſitivum*, & radicaliter formoſum, atque adeò non corporeum eſt, id Illi bonum eſſe pronuntiant: at quidquid *negativum*, & magis adhuc quidquid *privativum*, & conſequenter corporeum eſt, id illi non bonum, ſed malum eſſe credunt, quia negativum à nihilo, privativum à peccato derivari putant.

Quin etiam clamant Scripturas noſtras ſatis apertè teſtari hunc præſentem ſenſibilitatis, & corruptionis ſtatum non naturalem, ſed potiùs violentum, planéque contrarium Entibus eſſe. Quid enim (Origenis Platonici ſenſa ſunt) ſibi volunt decantata illa Apoſtoli, ad Rom. 8. verba? *Nam expectatio Creaturæ revelationem Filiorum Dei expectat. Vanitati enim Creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjicit eam in ſpe: quia & ipſa*

ipſa liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei. Scimus enim quod OMNIS CREATURA INGEMISCIT, ET PARTVRIT VSQVE ADHVC. Quid vult idem ipſe Paulus (pergit Origenes) cùm multis in locis, ac præſertim 1. ad Epheſios ait *inſtauranda eſſe omnia in Chriſto. quæ in cælis & in terrâ ſunt, in ipſo,* & alibi, *Erit Deus omnia in omnibus?* Nonne vult omnia eſſe reſtituenda in priſtinum beatitudinis naturalis ſtatum (qui ſtatus externa Divinitatis unctio, atque adeò extrinſecus Platonicis Chriſtus eſt) & per eum ſtatum in ſupernaturalem beatitudinem (quæ interna Divinitatis unctio, atque intrinſecus proinde Chriſtus eſt] evehenda eſſe?

Hiſpanus. Tunc hanc Apoſtoli mentem eſſe arbitratis?

Gallus. Abſit. Sed ex Te tantùm quæro quid Tui reſponſuri ſint Origeni acriter contendenti textus illos Platonicis potiùs quàm popularibus veſtris opinionibus accommodari poſſe: & Paulum ſectâ Phariſæum, adeoque Platonicum ad ſimile quidpiam facilè potuiſſe ſpectare?

Verùm, quò Philoſophiam veſtram planiùs jugulet, in ipſo veſtro innocente Adamo conſiſtet Platonicus, atque ex Vobis ſubtiliter quæret, quid *integri, beatique Adami* nominibus ſignificetis? Id eſt an ſentibile, an intelligibile aliquid innuatis? Nam

licet eaſdem vobiſcum ille voces uſurpet; non tamen idem haud dubiè innuit, quia per *integrum innocentem, beatumque Adamum*, ens prorſus indiviſibile, ſimplex, atque intelligibile, ſeu purè intellectuale innuit.

Hiſpanus. Nos verò innuimus aliquid omninò diviſibile, compoſitum, & ſenſibile.

Gallus. Ergo innocens veſter Adamus (urget Platonicus) non potuit eſſe beatus, ut vult Auguſtinus, ſed miſer neceſſariò fuit.

Hiſpanus. Non ſupernaturali quidem, ſed naturali beatitudine prædituſ fuit

Gallus. Atqui ne naturali quidem (reponit Platonicus) prædituſ eſſe potuit. Nam quidquid à ſenſibus dependenter agit, naturalis ſubſiſtentiæ, ac beatitudinis expers omnino exiſtit.

Hiſpanus. Quis talem unquam doctrinæ novitatem docuit?

Gallus. Ea doctrina non Platonicis tantùm, ſed aliis quoque tàm perſpecta fuit; ut tuorum etiam Doctorum nonnullos fugere non potuerit, Nam, ſi benè memini, apud recentiorem ſcripturæ ſacræ Commentatorem (P. Joan. Columby, ſociet. Jeſu.) legi cùm *Toſtato* tuo, tum aliis viſum eſſe *Adamum, quamdiu innocens fuit, independenter à ſenſibus intellexiſſe, atque operatum eſſe.* Quæ eſt ipſiſſima Platonicorum ſententia ab Authoribus tuis non ſatis, ut videtur, penetrata. Quin etiam Platonis Aſſeclæ propugnaturi

ſunt

sunt famosam Magistri sententiarum (*distinct. 2. cap. Triplici.*) opinionem ex figuratis Academiæ verbis promanâsse. Haud certè credibile est tàm illustrem Virum quando affirmat *Hominem sine medio vidisse Deum ante peccatum*, id de Homine sensibili, & de visione supernaturali; sed de Homine intelligibili, & de visione naturali, juxta Platonicorum sensa, dixisse. Ad quæ sanè sensa, falsa quidem illa, sed non tamen absurda, ejusdem Auctoris alia quædam referri possunt.

Denique si Plato resurgeret, non tàm disputaturus quàm risurus esset, cùm Tuos audiret asserentes *Hominem innocentem ab ignorantia, concupiscentia, difficultate, molestia, corruptione, & morte prorsùs immunem; & tamen verè actu sensibilem, id est localis concretionis, impenetrationis, alterationis, generationis, & nutritionis proximè capacem fuisse, & nisi peccasset, semper futurum fuisse.* Scilicet in mediis horribilissimarum Cloacarum fætoribus perinde atque in mediâ amæniissimi Veris temperaturâ, Florumque fragrantiâ se habuisset! quid sensibilitas, quid à sensibus dependentia sit, meditandum; ac deinde quid circa molestiam, dolorem, & corruptionem statuendum sit, decidendum esse Plato exclamabit.

Hispanus Equidem non negamus primum hominem *naturaliter* mortalem, passibilemque fuisse; sed singulari Dei miraculo, nisi

peccaſſet, eventurum eſſe tenemus, ut neque moriturus, neque quidquam paſſurus eſſet.

Gallus. Id ipſum quoque Pelagiani tenebant. Nam licet Hominem naturâ ſuâ mortalem, ac multiplicibus infirmitatibus ex ſe obnoxium eſſe dicerent; tamen ex peculiari Dei privilegio, & favore, vel per Deum ipſum immediatè, vel per admirabilem Angelorum curam, & diſpoſitionem tùm à morte, tùm ab ignorantia, cupiditateve, tùm ab omni moleſtiâ, ſi Deo paruiſſet, liberandum eſſe confitebantur. At Auguſtinus his minimé contentus acerrimè propugnat, aut certè videtur propugnare *Hominem innocentem mortis, ignorantiæ, doloris, malique omnis* naturaliter *ac* neceſſario *immunem fuiſſe*. Quod totum ut in recondita Platonicorum Philoſophia Veriſſimum; ſic in veſtra planè falſum eſt.

Verùm, ut hoc ſe habeat (de quo vix parum curabit Plato) contra vos arguet ille, negari ſaltem non poſſe, quin Adamus innocens qualis à Tuis ſenſibilis deſcribitur, ſtante quoque illo, quod ſupponunt, miraculo, mortalis, morituruſque fuerit.

Hiſpanus Ego verò nego, atque etiam pernego.

Gallus Tuum tamen Adamum vel in ipſo innocentiæ ſtatu moriturum fuiſſe ex tuis principiis conficere ſe jactabit.

Hiſpan.

Hiſpanus. Quomodo?

Gallus. Ut de generatione taceam, nonne ſingulæ Adami adhuc innoxii partes continuò effluebant, & diſſipabantur? nonne, ut vultis, cibo indigebat, nonne manducabat?

Hiſpanus Ita eſt.

Gallus Igitur quotidiana ſubſtantiæ jactura quotidiano alimento reparanda erat?

Hiſpanus Quid tùm?

Gallus. Atqui Plato inter vitam & mortem Animalium nutritione indigentium haud aliud diſcrimen eſſe putat, præter id quod inter fluxum perpetuum, & omnimodam ſiccationem Fluviorum intercedit. Saltè ut ripæ, cavitateſque fluminum, quamvis reipsâ mutentur, tamen præ aquâ currente perſeverare dicuntur; ita quoque oſſa, caro, nervi, arteriæ, cæterâque vaſa, tametſi perpetuò terantur; & abeant; permanere tamen, ſtareque videntur. Si conferamus ea cum ſpiritibus vitalibus, & magis adhuc ſi comparemus cum ſubtiliſſimis illis ſpiritibus, quos animales vocamus, & ex quibus vitam, ſenſum, & cogitationem Animalium fieri Plato arbitratur. Quòd ſi juxta Plurium Medicorum ſententiam, poſt ſeptem annorum curriculum nulla priorum Corporis partium etiam fixarum ſupereſt; quæ prioris animæ, ſeu ſpirituum animalium particula reſtare poteſt? Ut navis, & machina, tametſi poſt trigin-

ta annos ne vel una quidem priorum tabularum remanſerit, dummodo tamen nunquam ex toto compages diſſoluta ſit, ſemper eadem eſſe reputatur; ita quoque Homo tametſi poſt diuturnum tempus ſingulæ ipſius partes avolarint, & à ſe invicem ſeparatæ ſint; dummodo tamen non ſimul ſed ſeorſim, paulatimque ſic exierint, ut ſuccedentibus locum dederint; nec mori, nec interire dicitur, ſed unus atque idem homo vivere exiſtimatur, cùm tamen reverâ continuò moriatur, neque unquam unus atque idem vivat. Quandoquidem Plato exiſtimat continuam ſeparationem ſubſtantiæ fixæ à volatili, & volatilis à fixa, quæ in homine ſenſibili perpetuò fit, eſſe reverâ corruptionem, veramqueproinde *quoad ſe* mortem.

Cæterùm tritam & vulgarem, quam adhibetis, peccati originalis expoſitionem ex proclivi quadam hallucinatione fluxiſſe putabunt Academici. Nam cùm ſubtiliſſima ſenſa ſua tropis, figuris, atque ænigmatibus variis Plato texerit, infelices quidam ejus, Pſeudo-diſcipuli tantò in laudem proniores, quantò ab intimis ejus ſenſibus remotiores facile arbitrati ſunt Divinum Philoſophum de homine ſenſibili dixiſſe, quod de *Homine* tantùm *intelligibili* penitus aſſeruit, aut certè *de toto Homine ſenſibili* affirmaſſe, quod *de ſolis partibus individuis hominis* affirmavit; & contra de ſolis hominis ſenſibilis

bilis principiis affirmaſſe, quod de ſingulis hujus aſpectabilis mundi particulis æquè voluit aſſeverare. Quæ tamen non eó dico, ut puram, nondumque correctam Platonicorum Doctrinam ullo modo probem, quod abſit, ſed ut tantùm perſpectum faciam *clariùs & planiùs per illam, quàm per vulgaria placita veſtra unius veri Dei exiſtentiam, bonitatem, Providentiam, & Bonitatis cum juſtitia concordiam adverſus Epicuræos, alioſque impios ſtabiliri, & ab eorum calumniis vindicari.*

OPUSCULUM II.

Quòd Philoſophia vulgaris parùm ſubtiliter de Angelis Philoſophetur.

H*Iſp.* Ut *divina* planè ſit ea, quam Platoni tribuis, Philoſophia; *Angelica* certè non eſt, ac ne rationalis quidem dici poteſt, quia cùm Angelis injurioſa, tum mentibus noſtris valde contumelioſa eſt.

Gallus. Hęc tamen una certam, planamque viam aperit ad demonſtrandam Angelorum exiſtentiam, & ad firmandam in nobis ſempiternę Beatitatis expectationem. Nam ſicut è cineribus, extinctiſque Carbonibus ignem, aut ſicut ex animalis morte Vitam ejuſdem; ſic é Corporibus An-

gelos & ſpiritus præceſſiſſe; & Corporibus tandem ſucceſſuros eſſe Platonicus infert.

Hiſp. Exiſtentiæ quidem utcumque, ſed non tamen excellentiæ, dignitatique ſpirituum tua hæc philoſophandi ratio favet. Quam enim perverſè de immortali natura ſentit qui Angelos *incarnatos & corporatos*, id eſt in Carnem, & Corpus tranſmutatos; & viciſſim Corpora iterùm *Angelizanda* (ſic loqui liceat) id eſt in veram ſpirituum ſubſtantiam revertenda nobis proponit? Nonne portentoſas Poëticarum Metamorphoſeon Fabulas ſuperat, quiſquis ejuſmodi converſiones effingit? omnia certè ſolidioris Metaphyſicæ, rationiſque principia labefactat.

Gallus. Quin Tuis potiùs quàm Platonicis Doctoribus Metaphyſicorum Principiorum everſio quadrat. Quàm enim contraria notionis ipſius notioni principia Tui conſtituunt? quam parùm profundè, parumque ſubtiliter de intima Entis eſſentia, & inferiorum Entium ſingularitate diſputant? quid de interna Creaturæ cum Creatore ſimilitudine, & de utriuſque à ſe invicem primario diſcrimine; quid de penitiſſima ſpirituum à corporibus differentia rationabiliter pandunt? quam parùm ingeniosè ac veriſimiliter de famoſiſſimo Angelorum peccato diſſerunt? Platonici certè, ut non veriùs, ſaltem ſubtilius, aptius & congruentius illud exponunt.

Hiſp.

Hiſp. Deus immortalis! quam ſubtiliter, quam aptè, quam congruenter differunt, qui Angelos propter peccatum *lapidificatos*, atque in *Carduos*, aut etiam in *Aſinos* ridiculè converſos inducunt? quis bene ſanus exiſtimet, *hanc Cathedram*, *hoc Marmor*, *hanc Arborem*, *atque hoc Animal fuiſſe quondam Angelum*?

Gallus. Quam penitus Platonis arcana noſti? Scilicet in eorum numero es qui divino Philoſopho ſeculorum prodigio rem ſtolidiſſimam & apertè repugnantem affingunt? Nunquam, O Amice, nunquam Plato judicavit *Cathedram, aut Marmor intelligentiam fuiſſe*: nunquam aſſeruit *ens indiviſibile in Cathedram*, *aut Marmor*, quæ diviſibilia ſunt, mutari potuiſſe. Verùm admirabilis Philoſophus docuit *ſingulas partes individuas, & inſectiles ex quibus Cathedra, Marmor, & Animal conſtant, perfectas olim intelligentias fuiſſe.*

Hiſpanus. Et hoc ipſum omnium abſurditatum cumulum non putas? quæ immanior unquam Chymera ficta eſt?

Gallus. Duo ſunt quæ ſub quæſtionem cadere poſſunt. *Primum* eſt *an Intelligentiæ quædam perfectæ in vera corpora poſſint evadere. Alterum* eſt *an ſenſibilia hæc noſtra de facto conſtent intelligentiis damnatis, ſeu Platonicis atomis?* Atque ut hoc alterum nullo affirmare modo poſſum ac volo; ſic primum ſubtiliſſime pariter, ac ſolidiſſimè excogitatum

esse adversus Te lubet nunc obiter demonstrare.

Age igitur, accede, & tuis Te principiis confodiendum præbe. Antequam hinc à me discedas confessurus omninò es *non nisi stolidè, atque insciè absurditatis & impossibilitatis Platonicas atomos, seu intelligentias ad corpoream naturam redactas argui posse.* Sepositâ igitur rerum *de facto* existentium veritate quam intactam relinquo, de solâ rerum possibilitate, convenientiâ, & verisimilitudine disputemus.

Ac primùm ex te quæro. Nonne Deus potuit creare innumerabiles ferè myriadas intelligentiarum, hoc est *incredibilem quandam multitudinem, sed finitam tamen entium naturaliter Beatorum, quorum unumquodque suâ naturali subsistentiâ polleat; immediatè seipsum videat quantum visibile ipsum est, cæteraque Entia quàm facillimè penetrare, hoc est in eodem cum ipsis loco residere possit? sic tamen ut nullum ex ipsis alteri essentialiter æquale sit, multaque proinde superiora, & multa pariter inferiora sint: unumque demum omnium naturâ perfectissimum, unum natura imperfectissimum existat. Non quòd perfectiora & perfectiora illo perfectissimo, & similiter imperfectiora & imperfectiora illo imperfectissimo produci non possint; sed quod de facto & habitâ comparatione cum entibus actu existentibus hoc quidem perfectissimum, illud verò imperfectissimum sit.*

Hisp.

Hiſpa. Haud dubiè Deus id poteſt. Neque ullus Scholaſticus eſt, qui non id velut catholicum dogma firmiſſimè credat.

Gallus. Supponamus igitur intelligentias illas à ſupremo Numine conditas eſſe: imò, cùm maximè liceat, & nihil obſtet, fingamus tantiſper animo ſola ejuſmodi entia à Deo creata eſſe, & ſola exiſtere in rerum univerſitate.

Hiſp. Fingamus, ſi lubet: *nam abſtrahentium, & ſic ſupponentium nullum eſt mendacium.*

II.

Gallus. Quæro ex Te rurſus. Omnia hæc entia in beatitate naturali conſtituta nonne Deus ſic alloqui poteſt? *Volo ut unumquodque veſtrum me ipſo intimè perfruatur, me poſſideat, mihi uniatur, & per me ſubſiſtat; ſed volo, ut pro varia perfectione ſeu intenſione liberi conſenſus, quo mea hæc voluntas ab unoquoque acceptabitur, varia quoque præmii perfectio in uno quoque exiſtat: ſic tamen ut entia naturaliter inferiora ad æqualem, & adeandem cum entibus naturaliter ſuperioribus perfectionem, ſeu beatitudinem ſupernaturalem aſpirare poſſint. Nam ſi quæ intelligentiæ inferiores ſunt, in præſtanda mihi obedientia totas vires ſuas tametſi parvas impendam; æqualem gloriæ cumulum cum ſuperioribus totas vires ſuas multò majores impendentibus conſequuntur. Quæ verò ſuperior intelligentia totas vires ſuas non inſumpſerit, ea multò minore gloria donabitur, quàm inferior, quæ*

facultatem ſuam in eliciendo conſenſu exhauſerit, tametſi conſenſus hic longè tenuior remiſſiorque ſit conſenſu entis ſuperioris.

Deinde volo, ut quæ entia Voluntati meæ diſſenſura, aut propoſitæ conditioni reluctaturæ ſunt, ea priventur, quamdiu mihi libuerit, ipſa beatitudine naturali jam poſſeſſa, & careant poteſtate conſequendæ vitæ ſupernaturalis, ſintque inertia, impenetrata, turpia, & cæteris entibus obtemperantibus contemptibilia.

Hiſpanus. Negari non poteſt, quin ea omnia ſint poſſibilia, maximeque juſta.

Gallus. Supponamus igitur multis entium Myriadibus hæc à Deo propoſita eſſe.

Hiſp. Supponamus. Placet.

III.

Gallus. Quæro jam tertiò. Nonne fieri poteſt ut quæ entia ſuperiora ſunt, hanc Dei propoſitionem ideò liberè detrectent *quod ſuperiorum, & inferiorum æquam omninò ſortem faciat, & inferioribus plus æquo faveat?* Annon auditâ hac divini Conſilii declaratione, quæ inter ſuperiores primum locum tenet, cæteras ſuperiores intelligentias alloqui hoc modo poteſt? *Utilis quidem eſt exaltatio ad ſtatum ſupernaturalem, ultima poſſeſſio Divinitatis magnum beneficium eſt, incredibile donum eſt, quod nobis promittitur; at nequaquam par eſt ut naturale beneficium ſupernaturali extinguatur, aut ut abſoluta, & eſſentialis noſtra prærogativa per alteram tametſi majorem, aboleatur.*

Scilicet

Scilicet intimam naturæ ſuæ participationem, cùm primùm nos creavit, tribuere Deus recuſavit, ut glorioſius illam acquiramus? Egregium enim verò beneficium, ſed inferioribus, non ſuperioribus entibus proficuum, & honorificum! nam infima quæque entia, ſi ſuis viribus totis æquè utantur, ut æquè poſſunt; æqualem cum ſupremis entibus gloriæ perfectionem, atque adeò æqualem dignitatem adipiſci poſſunt. Non ergo aſſentiamur Dei propoſito nobis manifeſtato; ſed potiùs à Deo petamus, ut nos ipſos beet, ſicut ille beatus eſt: ut independenter ab omni noſtræ libertatis exercitio beatum faciat unumquodque noſtrum, ſic ut majore beatitatis cumulo has intelligentias donet, quæ naturaliter perfectiores ſunt, & minore, quæ naturaliter imperfectiores exiſtunt: proque varia naturæ inæqualitate variam beatitatis inæqualitatem impertiatur: & ſic HÆREDITATE *pro varia ſcilicet creationis ſorte* SANCTUARIUM DEI POSSIDEAMUS.

Hiſp. Meridianâ luce clarius eſt nihil hîc latere quod non poſſibile, nec tantùm poſſibile; ſed etiam poſitis prioribus hypotheſibus, non admodum veriſimile ſit.

Gallus. Supponamus igitur de facto ſic eſſe.

Hiſpanus. Supponamus enimverò, ſed quid hinc efficis?

Gall. Videbis poſtmodum.

Hiſp. Expecto igitur adhuc tantiſper.

IV.

IV.

Gallus. Interrogo quartò. Nonne fieri poteſt ut maxima pars entium horum naturaliter beatorum, auditâ primæ intelligentiæ adhortatione, independenter à meritis, juxta naturæ quodque ſuæ ſingularis præſtantiam, beari velit!

Hiſp Poſſibile enimverò id eſt, nec tantùm poſſibile, ſed etiam valde veriſimile.

Gallus. Ponamus igitur maximam partem entium naturaliter beatorum voluntati Dei libere diſſenſiſſe, atque idircò peccaſſe.

Hiſpanus. Nihil vetat.

Gallus. De illis ergo ſolis entibus peccatoribus ſermonem poſthac inſtituamus.

Hiſp. Placet.

V.

Gallus. Interrogo quintò. Ejuſmodi entia inobedientia nonne Deus juſtè poteſt privare naturali felicitate?

Hiſp. Imò debet.

Gallus. Bene eſt. At, quæſo, quid eſt entia illa naturali felicitate privari, *niſi immediato ſui ipſorum aſpectu, complacentiâ & amore, atque adeò propriâ ſubſiſtentiâ, & omnibus actionibus ex tali ſubſiſtentia promanantibus, proindeque penetratione locali, quæ ex notionali oritur, penitus orbari?*

Verùm ne detur ullus inani dubitationi locus, Nonne Deus ſingulas illas intelligentias ſimpliciſſimas, & indiviſibiles in peccati

pœnam

pœnam privare poteſt omni propriâ cognitione, omni propriâ actione, omni facultate ſeſe invicem penetrandi? Et conſequenter nonne ſingulas in certi cujuſdam ſpatii configuratione ita relinquere poteſt, ut quocumque moveantur, eandem ſpatii configurationem faciant? adeò ut quæ intelligentiæ ſpatium quadratum liberè implebant, quadratum poſtea neceſſariò impleant, & quæ rotundum antea liberè, rotundum pariter à peccato; ſed ſemper ac neceſſariò teneant?

Vel, ſi mavis, ut pœna peccato reſpondeat, nonne Deus juſtiſſimè velle poteſt, ut quæ intelligentiæ amplius quam cæteræ ſpatium naturaliter occupant, eæ arctatum quidem; ſed pauló tamen amplius, quam cæteræ à peccato occupent; & quæ minus naturaliter implent, eæ quoque minus poſt peccatum teneant: ſic tamen ut ex iis quæ amplum, & ex iis quæ anguſtum ſpatium tenent, aliquæ oblongum, aliæ orbiculare, aliæ cubicum, aliæ multangulum, aliæ denique multipliciter figuratum ſpatium occupent. An aliquid hac in re impoſſibile, aut minus juſtum eſt?

Hiſp. Nihil prorſus. Neque iſtorum quidquam ullus è noſtris Doctoribus inficiari, aut in dubium revocare poteſt. Quandoquidem omnes pro certo tenent *angelos licet inſectiles, atque entitative indiviſibiles; tamen diviſibile ſpatium, atque adeò modò quadrum, modò rotundum*

tundum, modò pyramidale, modò ſexangulum, prout ſingulis lubet, occupare. Deinde omni notione, omni actione, omnique actuali cum aliis penetratione privari ob peccatum poſſe. Et quomodo Dens immortalis! non faterentur Angelos ſic ob peccatum ſpoliari poſſe, cùm etiam ſecluſo omni peccato ad miſerrimum quemque ſtatum redigi poſſe conta Platonem Doctores noſtri aſſeverent? Quare nihil hactenus à Te prolatum eſt, quod evidenter poſſibile non ſit.

Gall. Ponamus ergo tales de facto intelligentias exiſtere quæ ob unum peccatum ſuum omni proprio lumine orbæ, planè excæcatæ, planè inertes, imò etiam actu impenetrabiles, & ad unum ſpatii genus ſeu ad unam certam ſpatii figuram determinatæ ſint: & quæ proinde nihil poſſint agere, eò quòd actio ex ſubſiſtentia ſeu notione propria emanet.

Hiſp. Ita ſe rem habere, animo, ſi lubet, conſtituamus.

VI.

Gall. Quæro ex te ſextò nonne Deus per ſeipſum, aut per intelligentias bonas divino nutui obſecutas, nonne, inquam, Deus imprimere poteſt intelligentiis jam obcæcatis, damnatis, & actionis ſimul, ac penetrationis incapacibus externum quendam motum localem, quo motu entia illa impulſa ſeſe invicem collident, in ſe mutuo impingent, ſibi adhærebunt, & tandem in quaſdam concretiones coibunt.

Nam

Nam cùm natura motus ea ſit, ut niſi obicem reperiat, & contrario motu lenteſcat, æternum perſeveret, & ſi contrarium in motum incidat, ambo quidem motus minuantur; ſed admirabili compenſatione, proprii motus jacturam, alieni acquiſitione reſarciant, tantumque de alieno admittant, quantum de ſuo amittunt; ſieri non poteſt, quin per continuum innumerorum entium motorum, & variè figuratorum occurſum, non ſtupendæ prorſus conjunctiones, & ſeparationes exiſtant. Nam licet unum ſimplicem motum ſingulis entibus damnatis imprimi dicamus; tamen ex innumerabilibus entium concurſibus innumerabiles motuum compoſitiones, & mixtiones exurgent, & conſequenter innumerabiles concretionum varietates indeſinenter reſultabunt.

Ex quo conſectaneum quoque eſt ſingula quidem entia naturali beatitate privata ex ſe æqualiter ad motum apta eſſe: neque ullam eſſe poſſibilem figuram, quæ ad citum, celeremque motum aliâ quacumque aptior, vel ineptior ſit, & quæ non æquè celeriter, vel non æquè tardè moveatur, ſi per inane cum eodem impetu impreſſo feratur: per accidens tamen contingere, ut eæ ſolæ atomi, ſeu intelligentiæ damnatæ, quæ minimum ſpatium, idque ſphæricum, & non oblongum, neque anguloſum occupant, celerrimé omnium moveantur, quia neque tot, neque tantis obſta-

culis

culis occurrunt, quot & quantis occurrunt atomi angulosum, vel majus spatium occupantes. Quæ nimirum exilissima sphæricave spatiola tenent per illa vacua, perque illa inania, quæ inter atomos varié figuratas necessariò intercipiuntur, facile permeant: vel si quando in alias atomos incidunt, non adhærescunt, neque retinentur; sed continuant rectum suum cursum vitæ diminutum.

Hisp. Profectò si candidè tecum agam, haud dubiè dicam, nihil esse cogitatu facilius, & ne minimam quidem umbram repugnantiæ istic apparere. Nam quæ contra *Vacuum* Philosophi nostri objiciunt, in ista tua suppositione manifestè possibili inanissima sunt, & nihil prorsus conficiunt.

VII.

Gall. Quæro tandem septimo. In hac mea suppositione, quam Tu planè possibilem esse confiteris, & in quâ nulla prorsus est actio, effectioque præter unum localem motum, in hac, inquam, mea, vel Platonis potiús suppositione, nonne Deus decernere potest, *ut ea entia, quæ omnium maximè activa apparent, seu quæ omnium celerrimè moventur, & quæ proinde cæteras, quibus junguntur, tardiores atomos commovent*, nonne, inquam, decernere Deus potest, *ut celerrima ejusmodi entia, quando cum similibus æquè celeribus unita sunt, notione quâdam polleant, non seorsim quidem; sed conjunctim tamen: ita ut nullum quidem ens*

sepa-

separatim cognoscat, nec seorsim per se subsistat; sed tota nihilominus conjunctio præposteram quandam notionem consequatur; & sic utcumque subsistat, totque sint gradus, classes, & ordines notionis, quot erunt gradus, classes, & ordines celeritatis & puritatis in conjunctionibus, seu concretionibus?

Hisp. Totum istud extorquebis ab omnibus Scholasticis etiam invitis, dummodo *ex sua obedientiali potentia* etiam limitatâ ipsos compresseris: sed eò recurrere haudquaquam necesse est in præsens. Nimirum istam tuam imperfectæ notionis substitutionem loco naturalis beatitatis pro arbitrio Deus singulis entibus damnatis tribuere potest. Allata nihilominus entium celeriorum prælatio multò æquior & rationabilior est. Nam licet motus localis non sit propriè notio, sed effectus notionis; tamen is affectus suam ipsius causam tam perfectè repræsentat, ut nihil similius cogitari possit. Quomodo enim notionem exprimas nisi cum motu locali conferas? Sanè ut localis motus per notionem & appetitionem; sic notio & appetitio per localem motum declarantur, tanta inter utraque proportio & similitudo intercedit. Quapropter nihil justius videtur quàm Entibus perfectioris Notionis comporibus perfectiorem quandam notionem (quæ tamen priore multò imfectior sit) reddere. Quòd si Deus potest omni omnino cognitione intelligentias privare,

multò

multò magis poterit alias præ aliis pro ſuo arbitrio, & pro illa quæ ipſi placuerit conditione aliquâ prioris deperditæ notionis imagine atque umbrâ donare.

Gallus. Atqui his, quæ apertè poſſibilia ſunt, præſuppoſitis, eoque pacto conceſſis, nihil ampliùs quærendum ſupereſt. Niſi enim de nomine quæſtionem feceris, ultrò conceſſiſti *poſſe Platonicas Atomos exiſtere; poſſe corporatam in anima quàm animata ex intelligentiis beatitate, ſubſtantiave ſua naturali privatis, atque adeo ex illis varium ſpatium occupantibus & varie motis, collocatiſque, ac per motum ſitumque illum variè naſcentibus progigni.*

VIII.

Hiſp. Equidem Platonicorum Philoſophiam haud ita negligendam eſſe ducerem, ſi rationabile quoddam corporum à ſpiritibus, & ſpirituum à corporibus diſcrimen conſtitueret; ſed illa ſpiritum cum corpore, & corpus cum ſpiritu ita confundit, ut unam eandemque rem modò corpus, modò ſpiritum eſſe definiat. Quòd ſi fieri nequaquam poteſt ut ullam Phyſicæ ſublimioris notitiam adipiſcatur qui circa corporis eſſentiam, & circa ſpiritus naturam cæcutierit (quandoquidem corporeæ, ſpiritaliſque differentiæ comprehenſio totius Theologiæ naturalis, vel primæ potiùs, generaliſque Philoſophiæ clavis, & cardo eſt) quam nutans, & quàm caliginoſa eſt tota Philoſophorum tuorum doctrina?

Gal.

Gallus Non is equidem ſum, ut ante monui, qui Platonicorum hypotheſin ut actu exiſtentem ullo modo probem; per eam tamen, quam per metaphyſica placita veſtra, multò ſubtiliorem corporum à ſpiritibus diſcretionem atque aptiorem principiorum omnium per ſe notorum connexionem, atque ad ſingulas hypotheſes applicationem inſtitui poſſe propugno. Quid enim veſtro philoſophandi genere inſulſius, quid minus cohærens cogitari poteſt?

Sanè ſi Scholaſticos etiam acutiores adis; *quomodo corpora poſſint eſſe rivuli, & participationes divinitatis*, quæ tota eſſentialiter intellectio eſt, haudquaquam videbis.

Deinde (quod multò prodigioſius eſt) ex ipſiſmet audies, aut certè illorum ex doctrina colliges *plus à Creatura ſuperiore inferiorem, id eſt ab intellectuali corpoream, quàm a Creatore intellectuales creaturas diſtare.*

Hiſp. Audacius profectò nobis imponis. Infinitam enim Creaturarum omnium à Creatore diſtantiam eſſe profitemur.

Gall. Et tamen aitis corpus non poſſe naturaliter videre ſpiritum ullum creatum, neque ullo pacto exigere, ut ullum ſpiritum creatum, etiam abſtractivè cognoſcat, tametſi ſpiritus omnis creatus divinitatem ipſam immediatè intueri poſſit, & naturaliter, abſtractivè ſcilicet, Deum cognoſcat. At in ſententia Platonicorum nullum tale incommodum

dum occurrit. Nam licet apud hos ſubtiles Philoſophos longè magis quàm apud Scholaſticos, corpus ſpiritui opponatur, quandoquidem *privative* apud hos, non apud iſtos opponitur, imò licet apud hos ipſos Academicos manifeſtâ contradictione repugnet divinitatem aut ſpiritum à corpore ullo modo videri. ex hoc enim præciſé *quòd ſpiritum & Deum corpora intuerentur*, ratio formaliter conſtitutiva corporis ceſſaret; tamen apud eoſdem ſapientes certum eſt nullum eſſe prorſus ens, quod ſpiritum & Deum immediatè videre non poſſit, quia nullum eſt ens, quod ex ſe, atque intrinſecè non ſit naturalis, vera, & ſubſtantialis imago Divinitatis, quodque proinde ex mero Dei favore non poſſit evadere ſupernaturalis imago ejuſdem Divinitatis.

Deinde nomine *ſpiritus*, ordinem rerum perfectiſſimarum; nomine *corporis* genus, & ordinem rerum valdè imperfectarum ſignificare volumus: ergo quando *ſpiritum* in communi, ſeu univerſaliter definimus, per id quod omnium excellentiſſimum eſt, ſcilicet *per notionem* definire debemus: atqui Scholaſtici non per notionem, ſed per meram *penetrabilitatem*; & corpus per meram *impenetrabilitatem* hactenus definiverunt. In quo quidem inſulſius, ut mihi videtur, quàm qui hominem *animal loquax* eſſe conſtituit, ſe geſſerunt. Profectò licet omne corpus impenetrabile ſit,

ſit, & omnis verus ſpiritus penetrabilis ſit; tamen penetratio ex notione, quemadmodum locutio ex ratione procedit, atque ita ſpiritus per notionem, veluti per primariam dotem à corpore diſcernendus eſt.

Quocirca Platonici longè divinius philoſophantur, quando ſpiritum univerſaliſſimè ſumptum *notione*; & corpus *notionis abſentiâ* definiunt, & repræſentant: eoque pacto Deum ſolum purè ſpiritualem, creaturas verò cunctas magis corporeas quàm ſpiritales affirmant, quia ſolus Deus infinitum cognitionis lumen poſſidet, & quælibet creatura infinito cognitionis lumine caret, quia finitum dumtaxat obtinet.

Rurſus iidem Platonici juſtius adhuc loquuntur, quando ſpiritum minùs univerſaliter, ac magis propriè ſtrictèque ſumptum definientes ajunt *ſpiritum eſſe omne, & quodlibet ens ſeſe comprehenſive videns*, & corpus contra *omne ac quodlibet ens comprehenſivâ ſui notione orbatum.* Nimirum ex *privatione* comprehenſionis naturalis promanat privatio actionis, & conſequenter penetrationis naturalis.

Quamquam ſi ſpiritum & corpus in tertio ſenſu valde populari interpreteris; ſique ſola entia penitus ſenſibilia inter ſe ſic conferas, ut alia præ aliis ſpiritualia, & alia præ aliis corporea eſſe, cum vulgo contendas; tunc ſanè rationem ſpiritus à penetrabilitate potius quam à notionis claritate deſumes: eò quod

in præſenti rerum ſtatu notio è motu locali, non motus localis è notione primum promanet: atque ita propoſitio hæc *ideò entia quædam quæ ſpiritus vocantur, perfectiùs noverunt, quia celeriùs moventur, & ideò celeriùs moventur, quia rotunditate atque exilitate ſuâ, cætera entia penetrare videntur*, veriſſima exiſtit,

Verùm quemadmodum entia in hoc ſtatu ſenſibilitatis poſita, non reipsâ, ſed apparenter tantùm, ac per meram quandam imaginem, ſeu adumbrationem *penetrant*, & intelligunt; ita non reipsâ, ſed apparenter tantùm ſpiritalia ſunt, & conſequenter recta, & propria ſpirituum definitio haudquaquam hinc metienda eſt.

IX.

Accedit, quòd apud Platonem, impenetrabilitas quidem actualis; ſed non tamen ulla impenetrabilitatis exigentia corporeis entibus conveniat, nec convenire queat. Omnis ſiquidem corporeitas, & conſequenter omnis impenetrabilitas juxta Platonicorum mentem non natura, ſed pœna entium eſt. Quod ita probant. Nihil prorſus eſſe poteſt natura cujuſquam entis, quin ab illo ente exigatur; nec poteſt quidquam ab ullo ente exigi, quin ſummum, aut certé majus ipſius bonum ſit, quàm eſſe queat id omne quod bono tali opponitur. Atqui certum eſt impenetrabilitatem non poſſe exigi ab ullo ente creato, quia nulli creato enti melior eſt impenetrabilitas; imò contra omni creato enti longé melior

eſt

eſt penetrabilitas, quàm impenetrabilitas, Ergo impenetrabilitas à nullo ente creato exigitur, neque ulli propterea enti naturalis eſt.

Quòd verò ſingulis Entibus melior ſit penetrabilitas, ſic oſtendere ſibi Plato videtur, Quodlibet Ens de quo cum altero inſtitui poteſt comparatio, vel eſt ſuperius adeoque perfectius; vel eſt inferius, atque ita imperfectius reſpectu ejuſcemodi Entis? Si primum perfecto quo perfectius, eò melius eſt, & conſequenter majorem ad ſe communicandum, & perfectiùs, ſe communicandum inferiori propenſionem habet: atqui quæ per penetrationem communicatio fit ea longe interior, verior, & perfectior eſt quam quæ citra penetrationem peragitur; Ergo, &c. Sin autem Ens inferius eſt, ſanè quo imperfectius, eó perfectionis egentius eſt, eoque magis conſequenter cupit, & poſtulat ut ipſius vacuitas ab Entis ſuperioris plenitudine compleatur; & cùm per intimam Entis ſuperioris penetrationem longè veriùs, penitiùs, atque abſolutiùs quam per impenetrationem, & ſolam contiguitatem perficiendum ſit, hanc totis viribus appetit, & quærit.

Rurſus quòd Penetrabilitas ſit majus bonum Entium etiam illorum, quæ corporea dicuntur Platonici hoc pacto, contra vos demonſtrare ſe putant. Suſcitatis, & glorioſis corporibus, ut aitis, penetrabilitas datur in

præmium atque in maximam felicitatem: ergo Penetrabilitas majus atque etiam ſummum bonum eſt Corporum: impenetrabilitas ſummum corporum malum eſt, quandoquidem ex diametro, & ſummè oppoſita eſt ſummo corporum bono; ergo corporibus naturalis non eſt.

Hiſpanus. Siſte tantiſper, nondum, ut putas, de Schola triumphas. *Conceditur enim corporibus glorioſis qualitas quædam ſupernaturalis vi cujus qualitatis, corpora illa beata penetrationem exigunt.*

Gallus. O te ſubtiliſſimum! quaſi verò egregio iſto emplaſtro, iſtâ ſcilicet entitate tuâ intima atque eſſentialis rerum exigentia mutari, deſtruique poſſit? quidquid intrinſecè ac per ſe ab aliquo ente exigitur, & concupiſcitur, hoc ipſum ab eodem ente ſemper exigitur, & concupiſcitur, quomodocumque illud ens afficiatur, & quibuſcumque in circumſtantiis ponatur, quibuſvis demùm entibus aliis uniatur: atque adeò ejuſmodi ens in ſtatu violento eſt, quamdiu quod intrinſecé exigit, negatur illi; multò magis ſi per impoſſibile ponatur in illo ente aliquid quod concupitæ naturaliter rei oppoſitum ſit. Profectò ſi penetratio actualis violentiam afferret corporibus, qualitas penetrationem exigens multò majorem corporibus violentiam inferret.

Deinde nonne vides eodem te relabi, nec tam

tam ſolvere, quam geminare difficultatem? de admirabili nempe iſtâ qualitate ac de ipſa penetrabilitate idem omnino dicam. Nam ſi impenetratio corporibus naturalis eſt, majus corporum bonum eſt, quàm penetratio; ergo qualitate exigens impenetrationem, corporibus melior eſt iſtâ qualitate penetrationem exigente, quamvis iſtam qualitatem ſecundùm ſe perfectiorem eſſe ſupponas, quemadmodum frigus etſi calore imperfectius eſſe dicatis, tamen aquæ melius ipſo calore eſſe, confitemini: adeò ut calor, qui conſtanter atque æterno tempore ab aquis omne frigus excluderet, haud dubiè non bonus, ſed noxius certè violentus aquis eſſet. Quomodo igitur qualitas perpetuam atque indefineutem penetrabilitatem exigens corporibus melior, quàm oppoſita qualitas eſſe poteſt? aut contra, quomodo impenetrabilitas ſummum corporum malum, ſupremaque miſeria non eſt, quandoquidem qualitas penetrabilitatem exigens ſummum corporum bonum, ſupremaque felicitas eſt? quomodo extremam corpora violentiam ex impenetratione non patiuntur, cùm ſummam quietem, conſummatamque beatitatem, ex qualitatis penetrationem exigentis infuſione, per Te conſequantur?

Hiſpanus. Certum tamen eſt humanam Chriſti naturam exigere hypoſtaſin ſuam nec tamen pati ullam violentiam, tametſi

propria negetur, ejuſque loco divina ſubſtituatur.

Gallus. O admirabilem tuam ſagacitatem in penetrandis Platonicorum placitis! non hîc (quod tamen capitale diſcrimen eſt) objiciam Tibi *hypoſtaſin*, & *hypoſtaſin* eſſe res ſibi ſimiles, & majori tantùm, ac minori perfectione, invicem à ſe diſtantes, non certé repugnantes, atque ex diametro ſibi oppoſitas, ut *penetrabilitas*, & *impenetrabilitas* ſibi invicem adverſantes ſunt; ſed hoc unum reſpondeo, aut potiús hoc unum Platonici reſpondent, nullum eſſe ens creatum, cui divina hypoſtaſis, tametſi legitimè ſupernaturalis dicatur, naturaliſſima non ſit. Ex Platonis quippe ſententia, omnis creatura exigit beatitudinem naturalem, atque inſuper divinam, ſeu ſupernaturalem: ſed primam ſine expectatione, alteram per meritum dandam exigit. Atqui beatitudo ſupernaturalis eſt intima cum Deo unio, omnium cogitabilium unionum perfectiſſima, nihil enim ſummâ beatitudine majus, aut melius, imò præter ſummam beatitudinem, nihil magnum aut bonum eſt, quia magnitudinis, omniſque bonitatis felicitas una menſura eſt. Quapropter cúm ſecundùm Platonicorum mentem, ſumma felicitas ſit ipſa unio perfecta cum Deo, & ſumma felicitas ab omni Creatura exigatur; facile arbitrati ſunt hanc quoque unionem exigi, & Creaturam om-

omnem eſſentialiter incompletam eſſe, quamdiu talem unionem adepta non eſt.

Hiſpanus. Certum tamen eſt nullum ens propriæ hypoſtaſeos deſtructionem exigere.

Gallus. O incredibilem Hallucinationem! quid enim, quæſo, creatum deſtruitur, quando Creatura perfectè Deo unita, non ampliùs per ſe, ſed per Deum propriè ſubſiſtit? nihil poſitivum deſtruitur, ſed mera dumtaxat privatio tollitur. Aut certè non aliter divina ſubſiſtentia creatam deſtruit, niſi quemadmodum ſol ipſe ſtellarum lucem extinguit, quando exoriens majorem in hoc hemiſphærio lucem producit, quâ majore *Solis*, & non minore Lunæ, aut Stellarum luce homines dirigantur. Aut ſicut laternæ facula rationem *ducis*, & *directivi*, oriente ſole perdit, quamvis ejus lumen perſeveret. Tunc nimirum juxta Platonicos per Deum non per ſe ampliùs Creatura ſubſiſtit, quando naturalis ejus ſubſiſtentia, id eſt notio primaria majore luminis abyſſo abſorbetur, non propriâ luce ampliùs dirigitur, ſed talem Dei viſionem obtinet quæ omnium Creaturæ hujus actionum principium ſit. Et quamvis aliàs contra Platonicos invictè probaturus ſim *nullius omninò Creaturæ præterquam humanæ Jeſu naturæ cum Deo unionem tum naturalem, tum hypoſtaticam eſſe, ex eaque proinde ſolâ & non ex alia cum Deo unione promanare*

re viſionem non tantum intenſivè, ſed duplici etiam titulo ab intenſione diverſo perfectiorem; tamen tunc quoque conceſſurus ſum nihil eſſe præſtantius felicitate, & nullam entitatem poſitivam reliquis hominibus communem Chriſto deeſſe.

X.

Porró futuris ætatibus incredibile videbitur, Philoſophos mirâ ſubtilitate gloriantes eſſentiam corporis, corporeæque naturæ in impenetrabilitate locali conſtituiſſe, & tamen proh ſuperi! perfectam abſolutamque penetrationem materiæ formæque tribuiſſe. Scilicet ſecundùm Scholaſticorum mentem, materia formam, & forma materiam perfectiſſimè penetrat, quamvis utraque corporea ſit! verúm quod ſequitur, longé mirabilius eſt, Scholaſtici contendunt penetrationem eſſe ſpirituum characterem, magnamque proinde perfectionem; & tamen quàm ſubſtantiis penetrabilitatem negant, hanc accidentibus ſuis concedunt. Nimirùm fatemini materiam à forma quidem, & formam pariter à materia; ſed non tamen ipſas materiæ aut formæ partes ab aliis materiæ aut formæ partibus penetrari poſſe, & quamvis mirabiles illas entitates, quas paſſim fabricamini, quaſve accidentium nomine, indigitatis, ſubſtantiis veſtris multò imperfectiores eſſe prædicetis; tamen intimam, characteriſticam, & eſſentialem,

ut

ut vobis placet, ſpiritualium ſubſtantiarum perfectionem; ſcilicet omnimodam penetrabilitatem entitatulis communicatis, neque enim tantum ſubſtantiarum, aut aliorum dumtaxat accidentium; ſed ſui quoque ipſarum penetrationem entitatulis hiſce tribuitis!

Hiſpanus. Ad levandam horumce omnium abſurditatem proferri multa poſſunt. Vg. quòd accidentium perfectio non ſit propter ipſa, &c.

Gallus. Quæ à veſtris Philoſophis hac in re proferantur, me nequaquam latent. Sed ea ejuſmodi ſunt, quæ ad tegendam abſurditatem unam, longè majorem aliam frequenter accerſant, quæ certè nihil præ ſe ferant, quod tantiſper veriſimile, aut rationi utcumque conſentaneum ſit. Quapropter his omiſſis moneo, ſtupendâ prorſus hallucinatione contigiſſe, ut quæ entia in ſtatu ſenſibilitatis, ob nimiam exilitatem ſuam mobiliſſima & innumeris attractionibus, ac repulſionibus localibus, & notionalibus complicandis aptiſſima ſunt, *quia præ exilitate & rotunditate vacuola, & poros facilè pervadunt ea penetrare*, viſa ſint, quamvis impropriam tantùm penetrationem obtinere Platoni videantur.

Denique Doctores Tui perperam ſtatuunt fieri non poſſe, ut ens corporeum *entitativè* individuum, ſeu inſectile ſit, & diviſibile ſpatium occupet: perperam clamant, cum

corpore ſpiritum hinc confundi: perperam jactant proprium hoc decus ſpirituum eſſe. Nimirùm ipſimet aliunde ſpiritum diſcriminant: neque ulla ratio cogitari poteſt, quæ hanc entitativæ indiviſibilitatis cum locali diviſibilitate conjunctionem characteriſticam ſpirituum notam eſſe conficiat. Verùm ſollicita illa Scholaſticorum cura de ſervandis hac in re ſpirituum prærogativis, mira prorſus eſt. Quamvis enim obſirmè ajant penetrabilitatem eſſe ipſiſſimam ſpirituum eſſentiam; nihilominùs ab ipsâ materiâ formam penetrari aſſerunt, & omnimodam penetrabilitatem qualitatibus planè materialibus impertiuntur, quemadmodum omnem indiviſibilitatem accidentibus purè ſpiritualibus ſuffurantur.

Verùm ſi Tuos Doctores, vel unico verbo confundere velis, utere argumento ab ipſorum ſententia ducto. Quære ab illis *utrùm notio volitioque major ſint perfectio, quàm entitativa indiviſibilitas localem ſpatii diviſibilitatem admittens?*

Hiſpanus. Reſpondebunt haud dubiè notionem eſſe majorem perfectionem, cùm nihil præſtantius cogitari poſſit ipſa cogitandi, volendique facultate, ipſaque primaria Dei eſſentia in notione conſiſtat.

Gallus. Atqui cognitio, imaginatio, æſtimatio, & appetitio, quæ Brutis convenit, juxta Scholaſticos vera eſt notionis, & volitio-

tionis participatio, ergo ſi tanta ſpiriituum perfectio corporeis rebus communicatur, cur altera non perinde communicabitur? Porrò Brutorum animam eſſe corpoream, ut puto, non inficiamini. Atque hoc quidem argumentum eatenus tantùm Plato probat, & uſurpat, quatenus præciſè *ad hominem eſt.* Quippe ipſe negat Brutorum animam verè noſſe, verè intueri, verè appetere. Has enim actiones ſoli beato ſtatui propriè competere poſſe judicat. Similiter Platonici *ad hominem* argumentantur, quando contra vos urgent corpora glorioſa ſpiritalitatem, ac penetrabilitatem obtinere; hoc enim ipſo quod ita ſe habent, corpora eſſe deſinunt, quia privationem quâ corpus in ratione corporis formaliter conſtituitur, deperdunt, tametſi nullius entitatis poſitivæ, quam priùs haberent, jacturam faciant.

Verùm quamdiu cum Scholaſticis Platorem habebit, de atomorum ſuarum indiviſibilitate diviſibile ſpatium occupante nullum certamen ſuſtinebit. Quam enim poſſibilitatem, & quam indiviſibilitatem corporibus aliis non dederunt, hoc Platonicis corpuſculis Scholaſtici facilè conceſſuri ſunt. Quia Platonica hæc corpuſcula ſunt veræ ac perfectæ Intelligentiæ notione, ſubſiſtentia, actione, & penetratione naturali ſpoliatæ.

Hiſpanus. Ut *de ſpirituum & corporum natura*, non tamen de *materia & forma rerum*

Tuos quàm Noſtros ſubtiliùs, commodiùs, & cohærentiùs, differere concederim. Quomodo enim cum ratione, imò quomodo ſecum ipſe Plato non pugnat quando ſolum Ens entium ſeu ſupremum Deum materiæ expertem facit, cætera verò entia, quæcumque tandem illa ſint, & quovis in ſtatu verſentur, ex *materiâ*, & *formâ* ſeu *ideâ* componit? quomodo materia intelligentiis propriè convenit?

Gallus, Si forma perinde ac ſpiritus, juxta Platonem, nihil eſt aliud quàm *lumen*, ſeu *notio*; profectò materia, quæ formæ opponitur, nihil propriè eſt quàm luminis, ſeu notionis abſentia, & negatio. Atqui in quolibet ente creato quantumvis intelligente plus multò eſt negationis quàm luminis, ſeu notionis; quia eſt negatio infiniti luminis, ſeu infinitæ notionis, & eſt tantùm lumen finitum, ſeu notio limitata: ergo in quolibet ente creato plus eſt materiæ quàm formæ.

Rurſùs quia quæ entia ſenſibilem in ſtatum lapſa ſunt non tantùm carent infinito lumine, ſed ejus quoque finiti luminis, quod naturaliter exigunt, prorsùs expertia ſunt; ideò novo titulo, novâque ratione materialia ſunt, & ſola propriè materialia dicuntur, quando cum beatis, ſeu integris ac naturaliter ſubſiſtentibus entibus comparantur, ſicut beata illa entia dicuntur ſola ſpiritualia, & immaterialia, quando non cum Deo ſed cum entibus miſeris, & ſenſibilibus conferuntur.

Tertiò,

Tertiò, Quemadmodum omnis Creatura etiam intelligens pura quædam materia eſt reſpectu Dei, & ſicut omne ens ſenſibile pura materia eſt reſpectu omnis entis intelligentis etiam creati; ſic inter entia ſenſibilia quidquid fixius eſt, videtur eſſe pura materia reſpectu entium magis celerium, quia quidquid fixius eſt, minùs habet motionis, quidquid verò minùs motionis, id quoque minùs notionis habet. Entium porrò ſenſibilium tarditas & mobilitas, cùm ab occupatiſpatij magnitudine, & exilitate, vel à figuræ varietate pendeat, hinc quoque materia, & forma ipſorum conſtat.

Hiſpanus. Hæc omnia fateor eſſe clariſſima, diſtinctiſſima, atque inter ſe invicem aptiſſima; ſed ab Ariſtotelis ſenſu nimis aliena.

Gallus. O vos dignos Ariſtotelicæ mentis exploratores! quisſatis mirari poſſit Doctores numero infinitos; & acumine lyncæos poſt tot annorum diſputationes pervidere nondum potuiſſe haud aliam Diſcipuli quam Præceptoris, & veterum omnium materiàm eſſe? quod igitur ignorantes prædicatis, ecce Platonicus annuntiat vobis. Materiam & formam veluti *duo entia ſubſtantialiter vacua, & incompleta*, in corporeis rebus deſcribitis, neque falſò deſcribitis; ſed quæ iſta Vacuitas, & imperfectio ſubſtantialis ſit, nondum percepiſſe videmini. Eſt enim, non quod vulgo comminiſcimini, *ſed privatio perfectionis ſeu ſubſi-*

 Quòd Phil. vulg. parùm ſubtiliter ſubſiſtentiæ naturalis quæ ſingulis entibus corporeis tam fixis quàm mobilibus convenit: & cujus loco ſubſtituitur imperfectiſſima notio, ſeu ſubſiſtentia ex totalitate, ſeu communitate plurium ſimul junctorum reſultans, quæ poſterior ſubſiſtentiæ larva vacuum ſubſtantiale reipſa non tollit, quamvis tollere vobis videatur.

Hiſpanus. Haud difficile quidem fortaſſe quiſpiam daturus eſt Ariſtotelem circa corporum principia neque à Platone, neque a Veteribus diſſentire, ſed nemo concedet probatam ipſi fuiſſe doctrinam Platonis *de Intelligentiis in corpora mutatis.*

Gallus. Si quam tamen Ariſtotelicæ mentis notitiam ex tanti Philoſophi libris haurire poſſumus, ex ea probabilius fit vel in iis ipſis quæ ad intelligibilem mundum ſpectant, tam re diſcipulum cum magiſtro conſentire, quàm ſpecie ambo diſcrepant inter ſe.

Hiſpanus. Ecquis id credat, quis benè ſanus id ſibi perſuadeat?

Gallus. Quiſquis Tullium, quiſquis Auguſtinum lib. 3. cap. 19. contra Academ. Quiſquis alios ſapientiſſimos viros credet eſſe audiendos. *Quod autem* (verba ſunt Auguſtini univerſaliter loquentis) *ad eruditionem, doctrinamque attinet, & mores quibus conſulitur animæ, quia non defuerunt acutiſſimi, & ſolertiſſimi viri qui docerent diſputationibus ſuis Ariſtotelem, ac Platonem ita ſibi conſinere, ut*

impe-

imperitis, minùſque attentis diſſentire videantur, multis quidem ſeculis multiſque contentionibus; ſed tamen eliquata eſt, ut opinor, una veriſſimæ Philoſophiæ diſciplina, nimirùm Platonica, quam intelligibilem alibi Auguſtinus nominat, & per hoc à cæteris diſtinguit; & in quo proinde ſi diſſentientem Stagyritam haberet, in capitaliſſimo & characteriſtico dogmate ſuo diſſentientem haberet.

Deinde ſanctus Thomas (qui Tibi ſuſpectus non eſt) lect. 8. in lib. 1. de anima text. 47. æque generaliter aſſerit Ariſtotelem *quando reprobat opiniones Platonis non reprobare eas quantùm ad intentionem Platonis; ſed quantum ad ſonum verborum ejus.* Unde ergo conſtat Magiſtro Diſcipulum in his quæ ad duplicem ſtatum entis attinent repugnare?

Præterea multa ſunt, quæ intimi illius fœderis non levem conjecturam faciunt. Ac primò cùm Ariſtoteles *Orbem terrarum divinæ providentiæ exortem facit, cùm inquit uſque ad Lunam Dei gubernationem deferri, quæ verò ſunt infra lunam, fato eſſe ſubjecta*, nonne figuratè duplicem entium ſtatum deſcribit? Nonne & *Cæli, & Mundi ſuperioris* vocibus, ipſum *intelligibilem mundum*; nomine verò *Terræ*, ac *Mundi ſublunaris* ipſum Platonis *ſenſibilem mundum* repræſentat? An non in primævo, naturali, & integro entium ſtatu, qui per *cælum* deſignatur perfecta libertas, perfectum meritum, perfecta pœnarum

&

& præmiorum diſtributio, perfectaque proinde providentia eſt? At in corruptæ, damnatæque naturæ ſtatu, quamvis ea corruptio, damnatioque ex perfectiſſimæ providentiæ decretis orta ſit, nonne Plato meram neceſſitatem, meram ſine ullo novo peccato, ac proinde ſine ullo demerito novo captivitatem, meram multiplicium motuum localium a primo locali motu, per Deum atomis impreſſo, abſque ullâ novâ Dei actione, aut directione pendentium ſucceſſionem, merumque adeò caſum, meram fortunam, merumque fatum agnovit? Profectò niſi Platonicum hunc ſenſum Ariſtotelicis verbis *de divinâ providentiâ uſque ad lunam tantùm protensâ*, conceſſeris, tàm abſurda, tamque ridicula eſt ſententia iſta, ut nullo modo credibile ſit, in hominem mediocriter ſubtilem, nedum in Ariſtotelem cadere potuiſſe. Et quamvis ipſum Platonis ſenſum, ut prorsùs falſum improbaturi ſimus; non tamen abſurdum, aut ridiculum unquam dicemus.

Similiter quando, contra generaliſſimam Philoſophorum ſententiam, Ariſtoteles aſſerit cælum eſſe incorruptibile, & cæleſtia generationis, alterationis, & corruptionis expertia eſſe; haud dubiè ſignificat intelligibilem Platonis mundum, & integrum entium ſtatum: quo in ſtatu, nulla generatio, nulla corruptio; ſed perfecta immortalitas; & incorruptibilitas eſſe poteſt: in ſolis autem ſub-

lunari-

lunaribus mutationes accidere, quia in ſolis ſenſibilibus generationum, & corruptionum viciſſitudo reperitur.

Nec verò credibile eſt Ariſtotelem tàm abſurdè ratiocinatum eſſe, ut dixerit *cælum ideò incorruptibile eſſe, quod nullæ novæ generationes in ipſo quiſquam hominum hactenùs obſervârit* Quaſi verò quæ tàm longè poſita ſunt, diſtinctè ſingulatimque à nobis obſervari poſſint? quæ mutationes, quæ alterationes, quæ productiones, quæ deſtructiones in locis editioribus, decem, vel quindecim milliarium ſpatio remotis contingant, minimè poſſumus obſervare, quomodo quæ in locis immenſo propemodum intervallo à terrâ disjunctis accidant, obſervabimus? An quia in præruptis, & prorsùs inacceſſis Mexicæ montium faſtigiis, nulla florum, herbarum, vermium, murium, & ſerpentium generatio, corruptiove adnotari poteſt; ideò nullam herbarum, florum, vermium, murium, ſerpentiumve generationem, & corruptionem illic accidere putabis? Quis adeò hebes ſit, ut ita rem eſſe opinetur? Deinde, ut taceam pluribus experimentis hodie tandem probabiliſſimum factum eſſe *Lunam ejuſdem cum terrâ naturæ eſſe; & Solem, ac ſtellas fixas eandem, cum noſtro igne eſſentiam ferè obtinere.* Annon Ariſtoteles ſatis ingenii habuit, ut pervideret, nos, ſi in Lunâ conſtituti Terram è Lunâ ſpectaremus; eodem planè modo Terram eſſe viſuros, quo

nunc

nunc modo Lunam videmus : multòque magis, ſi è Sole, aut è Stellis fixis, terram deſpectaremus? An è Saturno, aut è Caniculâ pratorum, vitium, ſylvarum, & animalium modò virentium, modò arentium, modò quieſcentium, modo ſe moventium, modo naſcentium, modò morientium varietates, in terrâ noſtrâ, obſervaremus? Quomodo igitur vis Ariſtotelem tàm ineptè argumentatum eſſe, ut ex non obſervatis in Cælo particularibus alterationibus, aut generationibus, nullas ibi alterationes, aut generationes particulares eſſe intulerit?

Quod verò *quintæ eſſentiæ* nomine, non aſtra communia, nec cœlum vulgare ſignificârit; ſed modò quidem purum mundum intelligibilem; modò etiam ſenſibilem (ſed non totum, ac ne ullam quidem ejus concretionem ſpectabilem, qualia ſunt ſydera nobis aſpectabilia) Verùm eam tantum mundi ſenſibilis partem, quæ maximè actuoſa eſt, ſcilicet ſpiritus tenuiſſimos, per totam quidem orbis machinam ſparſos; ſed præſertim in ſole, ac reliquis aſtris, & in animabus quoque conſpicuos, quod hos, inquam, ſpiritus, non cælum Vulgare Stagyrita ſignificârit, ſolidiſſimi auctores probant, cum hæc ipſius verba 3. de gen. animal. Exponunt, *eſſe in univerſo animalem calorem, adeò ut quodammodo ſint plena animæ, unde conſiſtant, ſtatim atque ille excipitur.* Quæ mera eſt Pythago-

thagoræorum, Platonicorum, imo & omnium Veterum opinio. Quapropter valde probabile eſt Ariſtotelem nomine *cæli* mundum intelligibilem, nomine verò *terræ* mundum ſenſibilem, ex figuratâ veterum locutione, fere ſemper intellexiſſe. Quin etiam valde probabile eſt non aliam Mundi æternitatem quàm quæ Pythagoræ, Platonis, & veterum omnium æternitas eſt, ipſi agnitam fuiſſe. Quæ quidem æternitas, non de ſitu, & collocatione, ac neque de ſtatu præſenti entium, ſed de ſingulis entibus intelligenda eſt: imò ne propria quidem æternitas, ſed longiſſima tantùm duratio eſt.

Præcipuè verò notandum eſt Ariſtotelem quando verba hæc in Phædone ſcripta *Socratem hauſto veneno, exceſſurum ad Beatorum felicitates: neque futurum Socratem, quod efferetur, aut ſepelietur*, hæc, inquam, verba quando ſic interpretatur, ut *de mente quidem, intellectuve agente id concedat, de animâ tamen neget*; clarè illum oſtendere ſe in Platonis ſententiâ verſari de duplici entium ſtatu, intelligibilitatis, & ſenſibilitatis. Perinde enim eſt ac ſi dicat, ſingula quidem entia, ex quibus Socrates conflatur, per ſe ſubſiſtentia beata fore, ſed non tamen imperfectam, & miſeram illam entium concretionem, quæ Socrates, vel Socratis anima dicitur, ullo modo ſubſiſtentem, ac beatam fore, niſi quatenùs quid-quid in eâ naturale, & poſitivum eſt, æterno tempore duraturum, & beandum eſt.

Quod

Quod ut capias tria breviter obſervanda ſunt. Primum, idem prorsùs oppoſita ſub variis comparationibus deſignare: atque ita quemadmodum Iudæi cum Chananæis quidem collati *ſpiritum*; cum Chriſtianis verò comparati *carnem* myſticè ſignificant; ſic animam *Corpori* oppoſitam denotare primævum, & intelligibilem rerum ſtatum; ſed eandem animæ vocem *intellectui* oppoſitam repræſentare ſequiorem, & corporeum rerum ſtatum.

Secundum, Platonem, & à Platone Ariſtotelem quando propriiſſimè loquuntur nomine *intellectus* entia naturaliter, ſeparatim, & per ſe ſubſiſtentia; nomine verò *animæ* entia damnata, & per meram totalitatem imperfectiſſimè cognoſcentia deſignare: at quia nihilominùs nomen intellectus alteri ſtatui ob ſimilitudinem quandam paſſim communicatur, & nomen pariter animæ primo ſtatui perſæpe confertur; ideò ad vitandas æquivocationes, primum quidem ſtatum vel *intellectum agentem*, vel *animam univerſalem*; alterum verò ſtatum, vel *intellectum paſſibilem* (quod in eo ſtatu nullum ens propriè agere, ſed tantùm pati velint) vel *animam particularem* eoſdem Philoſophos nonnunquam appellare.

Tertium, Verum quia tàm in primo, quàm in altero ſtatu ſunt certæ quædam notiones purè quietæ, & purè paſſivæ, per

quas

quas ſcilicet neque ens innocens, neque totalitas entium damnatorum vel *re*, vel *apparenter* ſe movet; ideò in utroque ſtatu intellectum perſæpe illos dividere in *agentem*, & in *paſſibilem*: ipſumque Ariſtotelem (etiam cum de ſolo ſtatu poſteriore agit) in agentem, & paſſibilem interdum diſtribuiſſe; tametſi, quando propriiſſime loquitur, nomine intellectus *agentis* vel *univerſalis* ſtatum naturalem, ſeu intelligibilem; nomine verò intellectus *paſſibilis*, vel *particularis* ſtatum ſenſibilem repræſentet.

Denique Ariſtoteles cap. 6. lib. 12. Metaph. docet errare Theologos, ut Heſiodum qui *è nocte*, id eſt *è privatione notionis naturalis*: & Phyſicos, ut Anaxagoram, qui *è rebus initio confuſis omnia* (ſenſibilia) *generari* velint. Vultque Philoſophus *non potentiam priorem actu, ſed actum priorem eſſe potentiâ*; ut enim Plato per entia *Vniverſalia* intelligibilem, & per *ſingularia* ſenſibilem ſtatum ſignificat, ideóque tradit *Vniverſalia ſingularibus eſſe priora*; ſic Ariſtoteles nomine *potentiæ*, ſenſibilitatem, nomine autem *Actus*, intelligibilitatem aliquando exprimit, proindeque vult *actum eſſe priorem potentiâ*, id eſt ſtatum intelligibilitatis præiviſſe ſtatui ſenſibilitatis. Quamquam, ut ſæpe dictum eſt, in his, & in cæteris non bonâ fide agit, vel potiùs Lectorem ſuum multiplici rerum confuſione decipit, & circumvolvit. Sanè paulò

ante,

ante eodem capite, veteres laudat, quòd fecerint *actum priorem potentiâ*, & nominatim Anaxagoram. *Quod fecerit mentem.* Quando verò ipſe alibi potentiam actu priorem facit, *Logicè* illam, non phyſicé conſiderat, vel ſi phyſicè conſiderat, non ſtatum intelligibilem cum ſenſibili comparat; ſed ſtatus quidem intelligibilis notiones ſecundarias cum ejuſdem ſtatus primariis notionibus; & ſtatus ſenſibilis motum localem cum ejuſdem motus principio efficiente confert. Et generatim quæ à Præceſſoribus ſuis *Phyſicè* dicta ſunt, perinde ac ſi *Logicè* dicta eſſent, refutat, & contra quæ *Logicè* dicta ſunt, perinde ac ſi phyſicè diſputata eſſent, ſugillat. Sic quæ à Platone *de univerſali ſingularibus priore*, diviniſſimè aſſerta ſunt, perinde ac ſi de univerſali Logico affirmata eſſent refellit: & contrà quæ à Pythagoræis de ſubſtantia rerum ſenſibilium populariter, vocaliter, & *Logicè ſumpta* prudenter enuntiata ſunt, perinde ac ſi *de ſubſtantia* tum metaphyſica ſeu intelligibili, tum phyſicâ ſeu ſenſibili *phyſicè ſumpta*, expoſita eſſent, ſic aſpernatur, ut capite 5. lib. 1. Metaph. jactabundé ajat *Pythagoræos valde ſimpliciter egiſſe, quòd definierint perfunctorie, & cujus primò dicta definitio eſſet ſubſtantiam rei putarint*, quamvis perſpectum ſit illos interdum quidem populariter, ſed ſæpius tamen ſubtiliter &

phy-

physicè substantiam rimatos esse; & contra Stagyritam ubique ferè ac semper (quod alibi notavimus) de substantia rerum vocaliter tantùm ac secundùm nostrum loquendi, imaginandique modum, id est secundùm certas denominationes, nec proinde Physicè, sed tantùm Logicé philosophatum esse. Ex quo planè factum est ut tui Philosophi verba non sensum Stagyritæ pendentes meram nobis Logicam aut potiùs Sophisticen merè præstigiatricem, nihil planè distinguentem omnia confundentem; & cùm maximè videtur illustrare magis obscurantem nobis obtruserint.

Porro ex iis quæ hactenus dicta sunt, manifestè colligi potest Platonicorum Philosophiam, etsi multa improbanda contineat, vulgari tamen præferendam esse, tum quòd subtiliùs & cohærentius de singulis entibus, entiumque statibus philosophetur; tum maximè quòd Angelorum, spirituum, & beatæ immortalitatis existentiam, & futuritionem clarissimè probet & contra Epicuræos, & Sadducæos (qui rationibus convincendi sunt, nec tamen a vobis convinci possunt) certo demonstret, nec in ipsis quidem corporibus nostris quidquam esse tam fluxum, tam ineis, tam putridum, tamque mortuum, quod non sit verè surrecturum, atque ita surrecturum, ut tandem aliquando vividissimum, luminosissimum, subtilissimum, agillimum, pla-

planeque incorruptibile, beatum, atque immortale futurum sit, tametsi nulla præsentiis hujus nostri corporis entitas positiva ullo modo destruenda, & nulla alia ullius è jam extantibus loco substituenda, vel illis adjungenda sit.

OPUSCULUM III.

Quòd Philosophia vulgaris minimè rationabiliter de Anima rationali Philosophetur.

HISPANUS *Philosophiæ* (ut ait Augustinus lib. 2. de ordine, cap. 18.) *duplex quæstio est, una de Anima, altera de Deo. Prima efficit ut Nosmetipsos noverimus, altera ut Originem nostram. Illa nobis dulcior, ista clarior: illa Nos dignos beatâ vitâ Beatos hæc facit.* Igitur quæ Philosophia circa humanæ Mentis naturam cæcutit, ea tam certò abjecienda est, quàm si rebus in omnibus falleretur: tum quòd omnes Philosophicæ quæstiones ad eam, quæ de Anima est, referantur, ex eaque pendeant; tum quod, ut ait Augustinus libro de beata vita, *quid solidum tenui, dum adhuc de Anima quæstio nutat, & fluctuat?* Atqui de Anima nostra Platonici pessimè omnium philosophantur. Quippe illi medium nullum tenentes, & ad extrema planè

planè oppoſita ſeſe alternatim præcipitantes humanam Mentem modò ad Angelorum naturam, & dignitatem extollunt, modó ad Belluarum atque etiam rerum inanimarum ſortem deprimunt: aut utrumque potiùs extremum conjungentes duplicem Animam ſic eſſe fingunt, ut altera quidem merus actus, & pura, ſimplexque ſit intelligentia corpori merè aſſiſtens, proque peccatis ante perpetratis in cuſtodiam carnis detruſa; altera verò merè corporea, mortalis, generabilis, & planè diviſibilis ſit: & prima quidem poſt ſuam à Corporis vinculo ſolutionem ad æterna ſuperorum gaudia tranſvolet; altera verò modò ad Hominum, modò ad Bellua um corpora, modó ad Tartari cujuſdam horribiliſſimi ſupplicia pro variis anteactæ vitæ meritis tranſmigret.

Gallus. O Te peritiſſimum Platonicorum myſteriorum reprehenſorem! ſcilicet nondum pervidiſti Doctores eminentiſſimos per duplicem Hominis animam deſignare duplicem Entium ſtatum *intelligibilitatis* quæ peccatum anteceſſit, & *ſenſibilitatis* quæ ex peccato proceſſit?

Hiſpanus. Nondum pervidi, nec quemquam ex Auctoribus etiam perſpicacioribus quid ſimile unquam pervidiſſe crediderim.

Gallus Noveris igitur (quod ſæpe monui) Platonicos eſſe opinatos *omnia*, &

 quòd minimè rationabiliter
ſingula entia eſſentialiter, intrinſecè, atque ex ſe viventia, intelligentia, immortalia, indiviſibilia, & penetrabilia eſſe: in eoque ſtatu primum quidem condita eſſe; ſed à beatæ illius conditionis libertate in miſeram ſenſibilitatis captivitatem, per omnimodam vitæ, notionis, actionis, & penetrationis naturalis privationem ob peccatum corruiſſe: atque ita omnem Mundum ſenſibilem, & omnia quæ in Mundo ſenſibili ſunt, ex intelligentiis damnatis conflata eſſe: ſic tamen ut non Aurum vg. Lilium, aut Bucephalus, Bucephalive Anima; ſed ſingulæ atomi ex quibus Aurum, Lilium, Bucephalus, Bucephalive Anima componuntur, perfectæ olim intelligentiæ fuerint, futuræque rurſus ſint. Humanis porrò Animabus, quòd ad intelligentiarum ſtatum, per certas notiones reflexas, ſeu operationes abſtractivas accedere nunc quoque videantur (non ſecùs ac lignea Cæſaris ſtatua per certas quaſdam configurationes ad Cæſarem accedit) quidquid intelligentiis propriè, ac verè ſolis convenit, planè attribui; iiſque dumtaxat Animabus jure attribui: quemadmodum quidquid eſt propriè Cæſaris uni ligno Cæſarem repræſentanti, & non aliis lignis communicatur, quamvis ejuſmodi lignum ejuſdem cum aliis lignis Natura prorſus eſſe conſtet. Ex quibus Platonici colligunt intimam *ſui cognitionem* geminos effectus contrarios parere in unoquoque ſapiente; magnam ſcilicet *ſui æſtimationem*, & magnum pariter

pariter *ſui contemptum*, vel magnam potius *modeſtiam*. Æſtimationem quidem, quòd nihil in ſe tam vile, tamque corruptibile agnoſcat, quod non beatum, immortale, luminoſum, intelligenſque fuerit, & futurum tandem ſit; Contemptum autem vel Modeſtiam, quòd nullâ de re gloriari poſſit, quæ minimo cuique Vermiculo, Lapidi, & Cæno communis non ſit.

Hiſpanus. Et hanc Tu Philoſophiam probas?

Gallus. Quin potiùs, (quod ad hypotheſeos exiſtentiam ſpectat) improbo, damno, anathematizo. Sed nihilominùs ajo Platonicos hac in re nihil ferè ſentire, quod non apertè poſſibile, & metaphyſicis omnibus principiis planè conforme ſit. Nec verò aliunde inconſequentiæ, aut ſuri atis, atque inconſtantiæ accuſantur, quàm quòd modò ad ſenſum collectivum, modò ad diſtributivum: modò ad priorem rerum ſtatum, nempe ad intelligibilem; modò ad præſentem priori oppoſitum, nempe ad ſenſibilem; modò ad utriuſque comparationem ipſos per emblemata ſua reſpectarere haud obſervatum eſt. Ad Metempſychoſin quod attinet, nonniſi ſtipite ipſo ſtupidiores Phyſici poſſunt arbitrari Platonem, Platonicos, atque etiam Pythagoræos homines acutiſſimos eam tenuiſſe opinionem quæ ipſis affingitur, & quam verbis Populo coram exponebant.

nebant. Nimirùm illi hoc ſuo ænigmate ſingulariſſimum pariter ac generaliſſimum Phyſicæ arcanum prudentiſſimè texerunt: neque Animarum aliam quàm Corporum tranſmigrationem, *in ſenſu diſtributivo* crediderunt.

Quapropter jam ſæpe dixi neque Platonicos, neque Scholaſticos tuos omni ex parte ſequendos eſſe, & multa in utriſque improbanda videri: Cæterùm quod ad Metaphyſicas quæſtiones, ſeu quod ad definiendam rerum eſſentiam ſpectat, longè ſubtilius, & rationabilius Academiæ quàm Scholæ Auctores Philoſophatos eſſe. Quod cùm in multis clariſſimè, tum in explicanda Mentis natura non obſcurè detegi poteſt. Nam licet hypotheſis, & ſuppoſitio, quam cùm ſuis Plato ut actu ſubſiſtentem ſectatur, & falſa, & deteſtabilis ſit, nihil tamen continet quod non evidentiſſimè poſſibile ſit. At hodierni vetereſque Scholaſtici ea nobis circa mentis humanæ naturam proponunt, quæ portentoſa, irrationabilia, nec modo falſa, ſed prorſus impoſſibilia ſint: & quæ proinde non facile corrigi, & ad verum, ut Platonica, naturaliſſime poſthac traduci poſſint.

Hiſpanus. Id Tu ſi oſtenderis de uno Scholaſticæ Diſciplinæ propugnaculo actum eſt. Nam quidquid aliud noſtris oppoſueris, huc ſemper confugiunt; & quamvis illorum nonnulli

nulli ſinceriores tandem fateantur, *per communia Scholæ principia, nullum Naturæ effectum exponi poſſe*; nihilominus obſtinatè tenent, nullam aliam Philoſophiam ſcholaſticæ præferendam eſſe; quòd nulla alia æque ſubtiliter, æque commodè, æque ſolidè, æque divinè de Anima noſtra ſentiat, & argumentetur.

Gallus. Atqui luce, ni fallor, clarius evincam vix aliam ab anteactis retro ſeculis, Philoſophiam minus ſubtiliter, minus commodè, minus ſolidè, minuſque divinè de Anima differere atque argumentari potuiſſe. Ac ne ullis verborum phaleris, aut exaggerationibus in re uſque adeo metaphyſica utamur, Scholarum portenta, & vitioſas, ſupra quam credi poſſit, circa animam ratiocinationes quàm breviſſime Tibi propono.

I.

Ac primò quæ à Poëtis Chymæra unquam ficta eſt, quæ deſcriptam à Scholaſticis animam rationalem immanitate rerumque diſparatarum, atque inſociabilium conjunctione adæquet, aut à longè aſſequatur? Non hircum tantum cum Cervo, neque hominem dumtaxat cum Equo; ſed rem digniſſimam, ſpiritaliſſimam, & diviniſſimam cum re indigniſſima, craſſiſſima, & abjectiſſima Philoſophi Tui confuderunt, & adunarunt. Scilicet *ex una parte* volunt animam hominis eſſe naturalem Divinitatis ima-

ginem ſubſtantialiter immortalem, intellectivam unâ Divinitatis fruitione beandam, ab omni demum materia, ſubjectione & actione creata independentem; & *ex altera parte* ita degenerem, ſordidam, turpem, egenam, vacuam, ut eſſentialiter, abſolutè, atque ex ſe corpus appetat: propter viliſſimam, putridiſſimamque carnem naturaliter exiſtat: nihil ſine corpore, ac ſine corporis adminiculo, operari poſſe exigat: calorem, digeſtionem, excretionem formaliter, ac per ſe proprié faciat: à corpore demum omnia ſua primùm, intrinſecè, naturaliterque accipiat. Quæ, Deus immortalis! monſtruoſior Chymæra cogitari poteſt? Sanè *ſi modus operandi ſequitur modum eſſendi*, ut perſpicuum eſt, quiſquis animam rationalem *in exiſtendo*, atque *in eſſendo* naturaliter à materia independentem affirmat; *in operando* quoque naturaliter independentem affirmare debet; & quiſquis in operando naturaliter dependentem, is ſine ullo fundamento docet, in exiſtendo naturaliter à materiâ independentem eſſe.

Vurùm fabricandæ iſti Tuorum Chymæræ locum dedit admirabilis Platonicorum doctrina de duplici ſtatu Entium, *intelligibilitatis*, & *ſenſibilitatis*. Sed quia Divinorum adeò Philoſophorum emblemata, tropi, figuræque notitiam Tuorum fugerunt; perfacili hallucinatione factum eſt, ut quod omnibus, ac ſingulis entibus reipsâ convenire

Pla-

Platonici ſenſerunt, quamvis ob cauſas alibi exponendas, ſoli animæ rationali palam tribuerint; Scholaſtici ad ſolam animam rationalem reipsâ pertinere opinati ſint: & qui ſtatus ſenſibilitatis, & conſectanea illius miſeria, turpitudo, vacuitas, & dependentia ex ſolo peccato apud Platonem proceſſit, meraque pœna eſt; eum illi ſtatum, eamque miſeriam, turpitudinem, vacuitatem, & dependentiam naturalem eſſe imaginati ſint.

II.

Secundò, Affirmatis *unionem anima cum corpore impedire quo minùs anima rationalis propriè intelligat, independenter à ſenſibus operetur, ſeipſam immediatè videat, juxta ſuam demum naturam ſpiritaliſſimam agat: neque hoc ex miraculo, aut ex pœna, aut ex mero Dei naturam ſequipollentis arbitrio; ſed ex natura, eſſentia, atque exigentia rerum ſecundùm ſe ſpectatarum per ſe evenire.*

In quo ſtatuendo quantum viri optimi hallucinentur, explicari vix poteſt. Neque enim ulla ullius rei cum altera unio ullam notionem impedire, aut minuere poteſt; quin potiùs omnis, & quæcumque unio poſſibilis ad promovendam notionem ſic refertur, ut nihil perfectè, vel imperfectè ab alio videri poſſit, niſi unitum ipſi fuerit quia unio radicalis eſt proximum & neceſſarium unionis formalis, id eſt, notionis principium: neque ullus Philoſophus pauló perſpicacior extitit, qui en-

tia ſuperiora ex unione cum inferioribus obſcurari, deteriora fieri, & ullam tum luminis, tum alterius perfectionis jacturam pati crediderit: & qui non contra inconcuſſè tenuerit, hanc ſuperiorem cum inferioribus unionem, unicam eſſe viam, quâ ſuperiora, id quod infra poſitum eſt perficere, illuminare, imò & intuitivè videre poſſint.

Hiſpanus. Ita ſe res quidem habet in entibus ſuperioribus, quæ per ſe completa ſunt, ſed non in ſuperioribus, quæ vacua, & incompleta ſunt; qualis eſt anima rationalis, quæ ut corpus complet; ita viciſſim à corpore completur.

Gallus. O eximiam ſubtilemque diſtinctionem: annon vides à Te aperté, omninoque ſupponi quod in quæſtione eſt: quid enim eſt ens incompletum, niſi *ens ſuâ naturali ſubſiſtentiâ, atque adeò comprehenſivâ ſui notione privatum*? quando igitur ais, *unionem entium incompletorum obſtare, ne id quod ſuperius eſt, ſeipſum videat, & conformiter naturæ ſuæ immateriali agat*, perinde eſt, ac ſi dicas *entia quæ naturali ſubſiſtentiâ, notione, & actione orbantur, naturali ſubſiſtentiâ, notione, & actione orbari, quando entibus ſimiliter orbatis uniuntur.* Quod manifeſtè ridiculum eſt, ipſamque theſim pro concluſionis ratione affert. *Nec verò unio notionem impedit, ſed impeditam aliunde ſupponit.*

Quæritur ergo *cur anima de facto incompleta*

pleta ſit, ſeu *cur anima de facto non ſe vid.at immediatè, atque etiam comprehenſivè?* quòd ſi Scholaſticus reſpondere pergit, *ex unione cum corpore id contingere*; pergam quoque ſubjungere, nihil incredibilius, & omnibus rectæ ſapientiæ principiis repugnantius reſponderi poſſe. Quibus ex principiis conſtat, *id quod perfectius eſt quando rei minus perfectæ unitur, perficere quidem, & illuſtrare; ſed non deterius, & tenebroſius ullo pacto fieri per unionem poſſe.* Negari certè non poteſt, quin penetrativa unio animæ cum corpore (qualem Scholaſtici fingunt) perfectiſſimam corporis viſionem in anima naturaliter atque ex ſe parere deberet; & tamen tantum abeſt, ut anima corpus intuitivè, perfecteque videat, quin potius, intimam ipſius fabricam & partes, niſi corpora diſſecarentur, prorſus ignoraret.

Porrò ſtupenda Tuorum opinio ex ſubtiliſſima Platonicorum ſententia figuris diſſimulata promanavit. Nam quod Platonici juſtis de cauſis, uni animæ rationali publicè illa tribuerent, quæ omnibus entibus ſenſibilitatis ſtatum patientibus æquè convenire putabant; & quòd rurſus phyſica logicis, ac ſæpe metaphyſica phyſicis expreſſionibus tegerent potius, quàm aperirent; evenit ut Tui exiſtimarint præſentem entium, adeoque animarum noſtrarum ignorantiam & cæcitatem, ex unione cum corpore cauſari: cùm

tamen certum ſit Platonicos (à quibus Scholaſtici rationem hanc mutuati ſunt) non aliud voluiſſe, niſi *præſentem & craſſam hanc ignorantiam, quam experimur*, ex entium corporeitate, *& contagioſis materiæ tenebris, id eſt è primo, originalique peccato profectam eſſe.* Quam entium depreſſionem, caliginem, atque à ſubſiſtentia naturali ſeparationem Platonici nomine *Unionis cum corpore* adumbrarunt, cùm tamen juxta illorum principia non *unio*, ſed *identificatio*, atque in corpus vera, & propria tranſmutatio, & metamorphoſis ſit; quæ quidem loquendi ratio Platonicis haud ita peculiaris eſt, ut eam multi alii non uſurparint, perfectam unitatem, ſeu identitatem nomine unionis ſignificantes.

III.

Tertiò, Etſi Philoſophi veſtri aiant unionem animæ cum corpore naturaliter, intrinſecè, atque ex ſe impedire quo minùs anima independenter à ſenſibus agat, quo minùs ſeipſam videat, ſe poſſideat, & per immediatam ſui poſſeſſionem naturaliter beata ſit; tamen obſtinatè aſſeverant *unionem hanc ab anima exigi, animæ naturaliſſimam eſſe, nec ſine verâ quadam violentiâ denegari poſſe expoſcenti.* Atque ita mentem noſtram irrationabiliſſimam, & inſaniſſimam faciunt, Quid enim irrationabilius & inſipientius exiſtit (ſi tale quidpiam eſſe poſſit) quàm quod *eſſentia-*

tialiter exigit ſuum ipſius malum, & deterrimum omnium, quibus ſubeſſe poſſit, ſtatum naturaliter expoſcit? atqui juxta Platonicos (qui tamen corrigendi ſunt) Unio præſens cum corpore mala eſt animæ, imò ſtatuum, quos ſubire poteſt, deterrimus eſt: quandoquidem impedit bonum infinitis pene partibus præſtantius bono, quod ipſa unio cum corpore animæ affert: & cujus boni multó præſtantioris abſentia nullo modo compenſari poteſt à præſenti bono, neque ab ulla ejus conditione aut circumſtantia. Nam ſi ſe anima ipſam videret, tunc ſeipſam poſſideret; ſi verò ſeipſam poſſideret tunc ſanè formaliter, atque etiam eminenter contineret omnia bona ipſi animæ inferiora. Præterquam quod tunc ſeipſam tam perfectè noſſet; tamque perfecte beata foret, quam naturaliter ſe perfecte noſſe, ac beata eſſe naturaliter poteſt: ergo ſummum naturale bonum, totumque proinde verum naturale bonum obtineret: quo tamen ſummo naturali bono in præſenti ſua conditione caret. Quòd autem, quæſo, bonum à felicitate, & quod naturale bonum, á naturali felicitate ſeparabile eſt?

Jam quomodo entia in ſtatu ſenſibilitatis per peccatum, conſtituta mutuam ſecum invicem conjunctionem appetant, ut eam, cujus hoc in ſtatu capacia exiſtunt, perfectionem, vel e rfectionis adumbrationem adipiſcantur, Platonici facilè, jucundéque

declarant. Quod facere Scholastici nequaquam possunt.

IV.

Quartò, Subtiliores Scholæ Authores (ut P. Giattinus & Suarez qui citant D. Thom. 1. part. quæst. 89. art. 1.) perviderunt tandem hanc unionis cum corpore exigentiam ita irrationabilem esse respectu animæ, ut eam prorsus insanam faciat, si pro omni tempore ipsi attribuatur. Quapropter dicendum esse statuerunt *pro aliquo tantum tempore unionem hanc expeti*: atque ita pro aliquo tantum tempore animam nostram incompletam esse, deinde perfecte completam esse,

Quam ipsorum opinionem, quod non modò nova; sed etiam incredibilis, atque inepta per se statim appareat, plausibili hac ratione firmare nituntur. *Anima rationalis*, inquiunt, *capax est duplicis speciei operationum, nam ex una parte, sensationes elicere, & suam speciem propagare valet, ex altera parte intelligere potest: ergo ne alterutra facultas suis actibus frustretur; utramque operationum speciem suscipere, atque imperfectas quidem priori loco, & per brevissimum tempus; perfectas verò posteriori loco, & per totam æternitatem elicere debet.*

Sed præterquam quod hæc opinio, opinionisve probatio plurima gratis assumit, & sine ratione supponit, neque innumeris fere incommodis, quæ brevitatis causa sileo, ullo pacto

pactò occurrit ; Platonici contendent unionem animæ cum corpore , qualis à ſcholâ deſcribitur , ne pro unico quidem inſtanti , ab animâ exigi poſſe. Quia pro eo etiam momento privaret bono incompenſabili , nimirùm beatitudine naturali , quæ naturaliter infundenda , non meritò acquirenda eſt : quia non modò debita ; ſed etiam , pro eſſentiali uniuſcujuſque entis perfectione , ita limitata eſt , ut nec minui , nec creſcere poſſit. Privaret autem ſe naturali beatitudine , quia exigeret *comprehenſivâ ſui notione per illud inſtans carere.* Quæ tamen notio comprehenſiva omne aliud naturale bonum , quod verè bonum ſit , formaliſſimè continet. Nam omne bonum eſt notio , & beatitudo , & cætera eatenùs dumtaxat bona ſunt , quatenùs ab beatitudinem , & notionem ducunt. Atqui ſenſationes , & præſentes notitiæ noſtræ , cum hâc comprehenſivâ mentis notione comparatæ ſunt mera caligo , mera umbra , & mera imperfectio , nihilque boni continent , quod hæc diviniùs , & eminentiùs non complectatur. Denique ſpeciei propagatio , qualis de facto eſt , ſupponit ſenſibilitatem , & ſenſibilitas ex Platonicis , peccatum ſupponit. Contra quod Schola nihil hactenús vel mediocriter firmum propoſuit : nihilque inpoſterum , niſi gratis , & ſine fundamento aſſertum proponet , quamdiu ſuis principiis ſtabit ; & Platonicorum Philo-

ſophiam per certiora principia non emendabit.

Verúm, ad jugulandas iſtas Recentiorum diſtinctiunculas, certiſſima, & evidentiſſima ſupremæ Philoſophiæ principia conſulamus. *Quidquid perfectionis entibus inferioribus competit, id totum eminenter, atque adeò formaliter ſuperioribus ineſt.* Ergo ſuperius nullo modo indiget, ac ne per unum quidem momentum indiget inferiore, à quo nullam prorſus perfectionem accipere poteſt, quia omnem, & quamlibet inferioris perfectionem poſſidet. Ergo ſi anima rationalis tantam ſupra corpus entitativam *ſublimitatem, & excellentiam* habet, quantam Philoſophi tui affingunt ipſi, nullo prorſus modo, ne vel per unum quidem inſtans, indigere poteſt corpore, neque ab eo perfici.

Hiſpanus. Ut video nunquam legiſti, quomodo D. Thomas 1. part. quæſt. 8. art. 2. ad. 3. occurrat hui tuæ objectioni, dùm probat his verbis animam rationalem non continere corpora inſe, quamvis Deus contineat omnia inferiora. *Quælibet Creatura habet eſſe finitum, ac determinatum, unde eſſentia ſuperioris Creaturæ, et ſi habeat quandam ſimilitudinem inferioris creaturæ, prout communicant in aliquo genere; non tamen completè habet ſimilitudinem illius, quia determinatur ad aliquam ſpeciem, præterquam eſt ſpecies inferioris Creaturæ; ſed eſſentia Dei eſt perfecta ſimulitudo*

militudo omnium, quantum ad omnia quæ in rebus inveniuntur, ſicut uniuerſale principium ipſorum.

Gallus. Hæc equidem non ſemel legi, ſed flocci toties feci, cúm multis de cauſis, tum præſertim quòd ratio diſcriminis, quàm ex alienâ, non ex ſuâ ſententiâ, ſanctus Doctor affert, nihil penitùs evincat. Ex eo enim quòd Creaturæ ſint alicujus certæ, ac determinatæ ſpeciei, non ſequitur inferiora minimè contineri in ſuperioribus, perinde, atque in ſupremo ente. ſicut ex eo quòd *ulna* ſit determinatæ extenſionis, non ſequitur *palmum*, *ſemipalmum*, &c. & omnes minores extenſiones in ulna perinde, atque in *immenſitate* non contineri: vel ſicut ex eo quòd omnes numeri alicuius certæ ſpeciei ſint, non ſequitur numeros minores in majoribus perinde atque in infinitudine non comprehendi. Quæ comparatio, contra Utentem, eò fortior eſt, quòd ille 1. part. quæſt. 47. art. 2. ex Ariſtotele aſſerat *formas rerum eſſe ſicut numeros, in quibus ſpecies variantur per additionem, vel ſubſtractionem unitatis.*

Quòd verò D. Thomas non de Deo tantum; ſed de omnibus entibus ſuperioribus, reſpectu inferiorum, axioma intelligat, ex hoc ipſius loco 1. part. quæſt. 76. art. 6. ad 1. apertiſſimè patet. *Forma perfectior virtute continet quidquid eſt inferiorum*, ubi non de Creatore tantùm; ſed de omni eſ-

ſentiâ

ſententiâ, & perfectione in univerſum loquitur. Quæ D. Thomæ mens manifectiùs adhuc innoteſcit ex interpretatione quam his Auguſtini verbis, ſup. Geneſ. ad Liter. lib. 2. cap. 8. ſubijcit *Omnia quæ Deus fecit in propriis naturis, fecit in intelligentiâ Angelicâ*, unde infert S. Thomas 1. part. quæſt. 89. art. 3. animam quoque noſtram id obtinere.

Cæterùm Platonici ultrò concedent, & tanquam intimum dogma propugnabunt, *animam rationalem non continere virtute corpora*, niſi forte, quando differentes cum populo, animæ rationalis nomine, *ens quodlibet intelligens, ac naturaliter per ſe ſubſiſtens, beatumque intelligunt.* Imò, ne tunc quidem corpora, ſed tantùm entia quæ ſive actu corporea ſint, ſive non ſint, inferiora ſunt; animam continere ajunt. Iam quo modo concilianda ſint omnia D. Thomæ loca, & quomodo ſtupenda quædam æqualitas inter entia, per ſenſibilitatem, peccati ſobolem, inducta ſit, Platonici non verè quidem; ſed ſubtiliſſimè tamen demonſtrant.

V.

Sextò. Ineluctabilibus argumentis, & difficultatibus, ad deſerendam ſententiam ſuam compulſi Scholaſticorum nonnulli, ne ab eâ diſcedere cogerentur, eò tandem confugerunt, ut dicerent, *animam extra corpus imperfectiùs quàm in corpore noſſe, & intelligere.* Quo quidem modo, juxta ſcholæ principia, philo-

philoſophantem an deſpicere, an refellere debeas, prorsùs ignoro. Ut enim omittam ratiunculas, & cavillos, quibus hujuſce reſponſionis Authores uti ſolent, & quibus nihil inanius eſt; nonne certum eſt (ſtantibus ſcholæ principiis) animam intuitivè, imo & comprehenſivè ſeipſam, à morte, videre? Quæ igitur claritas animæ unitæ cum claritate animæ ſeparatæ comparanda eſt? Quod ſi quis negare audeat nimam exigere, ut ſeipſam videat, aut talem eſſe, ut per ſe ſolam, perque unam ſubſtantiam ſuam cernere ſe poſſit; cum eo nullatenùs diſputandum eſt. *Cujus enim rei niſi ſuimet ipſius cognitio menti debetur?* Quid animæ conformius, quàm ipſa ſibi? Quid ad repræſentandam ipſam, aptius ipſâ fingi poteſt;

Quód autem, juxta reconditam Platonis ſententiam, *anima extra corpus imperfectiùs, quàm in corpore cognoſcat*, ad excuſandam Scholaſticorum opinionem nihil confert. Eó quód Plato diviſibiles animæ ſpiritus poſt mortem diſſipari, atque ad res varias, ut plurimùm inſenſibiles adhæreſcere, & protinùs omnis priſtinæ notionis ferè oblivíſci crediderit, quod nequaquam cadit in ſenſum Scholaſticorum; quos cùm liquidum ſit affingere animæ jam ſeparatæ veram ineundæ novæ cum corpore ſocietatis cupiditatem, veramque exigentiam cum debito conjunctam; non video quomodo iidem tui Doctores reſur-

ſurrectiónem ex divino miraculo patrari affirment.

VI.

Urgentiùs adhuc Scholaſticos propriis ipſorum machinis oppugnemus, nec niſi argumentis *ad hominem* vocatis, contra ſubtiles viros utamur.

Et communibus Scholæ principiis apertè ſequitur animas hominum ſpecie differentes eſſe, quod tamen Scholaſtici meritò pernegant: ergo principia Scholarum falſa ſunt. Sic autem ſequela oſtenditur. Ex communiſſimâ Scholaſticotum ſententiâ, pro diverſitate temperamentorum, & diſpoſitionum, debent produci, & exiſtere diverſæ formæ: nam, ut ait ſchola, quoties videmus effectus diverſos cum exigentia, & reſtitutione, ubi ſemel deperditi ſunt, conjunctos; toties, ut vultis, debemus colligere diverſa principia ineſſe. Sic enim Schola probat *formam ignis* eſſe diverſam *ab aquæ forma*, eò quòd hæc ſuum frigus recuperat. Ergo ſi effectus ſpecie diverſæ ſunt, diverſæ quoque ſunt cauſæ, ſeu formæ: atqui in pluribus viris, & fœminis temperamenta pluſquàm ſpecie diverſa, & effectus immaniſſimè diverſos experimur. Inter humana certè major quàm inter auri & argenti, aut pomi & Pyri temperamententa diverſitas elucet.

Hiſp. Video quid inde concludas, & contra Scholam apertè concludas. Sed talem philo-

philoſophandi rationem, non alia de cauſa ſequimur, niſi quòd præſtantiæ, atque immortalitati animæ evidentiùs ſuffragetur.

VII.

Gallus. Atqui Doctorum tuorum principia nobilitati, & excellentiæ animarum noſtrarum nullo pacto ſuffragantur. Nam, ut vos ipſi aitis, temperamenta, ſeu diſpoſitiones exigunt formam ſeipſis quidem nobiliorem, ſed proportionatam tamen, ſeu ſibi ipſis reſpondentem, ita ut diſpoſitiones nobiliores nobiliorem formam exigant, & quò nobiliores ſunt diſpoſitiones, eò nobiliorem formam poſtulent, & viciſſim forma nobilior nobiliores diſpoſitiones; quòque forma nobilior eſt, eò nobiliores diſpoſitiones requirat; adeò ut quæ inter diſpoſitiones, & diſpoſitiones; eadem inter formam, & formam; & quæ inter formam, & formam; eadem inter diſpoſitiones, & diſpoſitiones proportio intercedat. Atqui diſpoſitiones ad generationem hominis requiſitæ non differunt à diſpoſitionibus ad generationem animæ equinæ conducentibus, niſi valde imperfectè, & ratione accidentium diverſimodè tantùm temperatorum: quod enim in uno caloris, humiditatis, aut frigoris pluſculúm quàm in alio ſit, quale, Deus immortalis! diſcrimen hinc exurgit?

VIII.

Ponamus tamen, iſta qualitatem exigentia & ſimilitudine, non deſtrui præſtantiam, & diſ-

& diſparitatem eſſentialem animæ rationalis; ea profectò exigentia adeò ridicula, & incredibilis apud Platonem eſt, ut ei minimè perſuaderi poſſit. Quaſi verò accidentium communiſſimorum, & planè materialium mixtio poſtulet à Deo creationem entis nobiliſſimi, & immaterialiſſimi? O rationabiles, atque inter ſe aptas Scholarum ſententias! Scilicet tantillùm frigoris, & caloris, cum exiguâ parte ſiccitatis, & humiditatis temperatum tantæ dignitatis eſt, ut à Deo diviniſſimi entis productionem quodammodo extorqueat; ſic certè impetret, ut ſine ſummâ naturæ violentiâ denegari non poſſit? Quid unquam ſimile, quid tàm portentoſum imaginati putantur Pelegiani? *Quomodo creatio Creaturis eſſe naturalis negatur, quandoquidem tàm ſtrictè, tamque propriè à viliſſimis accidentibus exigitur.*

IX.

Pergamus *ad hominem* argumentari. Ex vulgaribus Scholarum placitis conſtat, *in ratione unionis* etſi non *in ratione entitatis* majorem eſſe proportionem inter Deum, & animam noſtram, quàm inter animam, & corpus: eò quòd anima naturaliter Deum abſtractivè cognoſcat; & corpus naturaliter, ne abſtractivè quidem, animam cognoſcere queat; & tamen anima, quantumvis naturaliter exigat Deum cognoſcere; non tamen naturaliter exigit Deo uniri: ergo multò minùs anima natura-

naturaliter exigit uniri corpori, vel potiùs multò minùs corpus exigit animæ uniri.

X.

Si anima noſtra unionem cum corpore naturaliter exigeret, ſpiritualitas ejus, ex Scholarum principiis oſtendi non poſſet. Quod ſic probatur. Non magis reipſâ penetrationis capax eſſet, quàm forma lapidis. Ergo non magis eſſet ſpiritualis. Ideò certè forma lapidis eſt incapax penetrationis (juxta Scholarum principia ſemper loquor) quia exigit naturaliter, atque ex ſe uniti materiæ quantæ, atque impenetrabili: atqui Anima rationalis (ſi Scholaſticos audis) æque naturaliter, atque ex ſe exigit uniri materiæ quantæ, atque impenetrabili, ergo &c. Profectò quidquid à tuis philoſophis, hâc in parte reſponderur, nullo modo ſatisfacit, & quod, in quæſtione eſt, apertè ſupponit.

XI.

Scholaſtici tui volunt animam noſtram lumine gloriæ adjutam extrahere, & educere connaturaliſſimè ex ſuâ ſubſtantiâ viſionem beatificam, quam tamen exigere anima ſolitariè ſpectata non poteſt, tametſi viſionem ex parte, ſeu inadæquatè contineat, quando quidem illam viſionem, ex ſe tamquam è ſubjecto, materialiter, atque afficienter educit: quomodo ergo materia ſpiritum (qualis eſt Scholaſticorum anima) exigere poteſt; cùm, ne omnibus quidem auxiliis poſſibi-

possibilibus adjuta, educere illum ex se possit.

XII.

Anima rationalis, qualem schola describit, non potest vivere per sensationes verè materiales: quia omnis actus vitalis necessariò educi debet è subjecto quod vivens denominat. Et quis veró putet id quod verè materiale est, ex illo quod verè spiritale est, educi? Sanè Agatho Pontifex definit motum esse motum naturæ cujus est motus: & humanitatem, non posse vivere per operationes Dei, nec Deum per operationes Creaturæ. Unde sequitur, nec materiam, seu corpus per operationes spiritus, nec spiritum per operationes corporis vivere posse. Et tamen schola contendit animam verè spiritalem vivere per visiones, auditiones, gustationes, olfactiones, tactiones, quæ corporeæ, & in corpore penitùs receptæ sunt?

XIII.

Si, ut Philosophi vulgares volunt, sic res se habent, cur inflictum ab igne dolorem in mentibus damnatis, aut in animabus leviores culpas expiantibus, *ex solo miraculo* proficisci posse contendunt? Profectó communis, & quotidianus mortalium dolor non minùs mirabilis esset. Nam cùm materia prima, atque adeo substantia corporis scholastici ex se, intrinsecè, atque essentialiter omnis doloris, omnis vitæ, ac sensibilitatis expers

sit;

ſit; tota vita, totuſque proinde ſenſus, & dolor præſens mortalium in animâ reſidet, & animam afficit. Vnde autem, quæſo, totus dolor hic procedit? Nonne ex aëbus corporeis, & ex corporibus? Ergo id quod materiale eſt, naturaliter in ſpiritum agit, & ignis naturaliter animam cruciat, & exurit. Quod tamen perabſurdum eſt.

XIV.

Stante vulgarium Doctorum circa humanam mentem opinione, nullus homo verè pater eſt alterius hominis, quia nullus Homo verè Hominem generat. Probatur. Nullus Homo ullam Hominis partem producit. Duplex enim pars eſt Hominis, altera eſt corpus, ſeu materia, altera forma ſeu anima. Atqui Homo non producit materiam, quæ tantùm creari poteſt: nec ſimiliter animam, quæ è ſolis Dei manibus exire valet: imò neque unionem, nec proinde totalitatem producit: quandoquidem ejuſmodi unio (quam animi gratia, cum Tuis, diſtinctam eſſe fingo) ante produci non poteſt, quam anima creata ſit: quod tamen, in Maribus, nonniſi poſt trigeſimum ſaltem à coitu diem, & in Fœminis multò poſt accidit: quo ſanè tempore non rarò Pater extinctus eſt. Neque juvat objicere materiam ſaltem à Patre ſubminiſtrari. Quippe nutrices longè plus materiæ lactantibus præbent, & communicant, nec tamen quatenùs nutrices gene-

generant. Deinde mater multò plus quàm pater generationem cauſaret, quia materiæ multó plus ſubminiſtrat. X V.

Hiſp. Quæ Tu hîc objicis, non parum quidem difficultatis habent ; ſed ſaltem juxta Scholarum ſententiam liquet *animas de novo quotidie, & à ſolo Deo crearì.* Quod tamen in Platonicorum ſententia verum eſſe non poteſt. Iam licet olim tota occidentalis Eccleſia non dubitarit, quin animæ hominum, non ſecùs atque animæ belluarum per traducem à parentibus procreentur ; imo licet Æthiopica Eccleſia tùm vetus tùm hodierna doctrinam *de traduce animarum* generaliter amplectatur, prout ex multorum relationibus patet; tamen ex quo *Hieronymus* apertiſſimo hoc Evangelii teſtimonio, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor*, demonſtravit *animas de novo fieri, & ſingulas crearì*, non licet ampliùs hac de re vel tantiſper dubitare.

Gal. O Te ſubtiliſſimum Platonicæ Doctrinæ ſpeculatorem ! quaſi verò, juxta Platonem, animæ ſingulæ hominum de novo non producantur ? Producuntur enimverò ſingulæ de novo, nec minùs verè, minùſque propriè, quàm corpora de novo producuntur. Quis autem Chriſtianus dicat corpus Chriſti, & corpus Mariæ. non de novo factam, & formatum eſſe ? An corpus infantis qui hodie naſcitur ſuperiore anno exiſtebat ? Nonne

ſingulæ

ſingulæ domus, & ſingulæ tabellæ de novo ſiunt? Quomodo igitur animæ juxta Platonem non de novo fient quamvis ſingulæ particulæ animam quamlibet componentes ab ipſo primo rerum exordio extiterint, quemadmodum ſingulæ particulæ corpus Jeſu componentes à prima rerum omnium creatione extiterunt?

Nec verò quidpiam Occidentalis Eccleſia olim credidit, quod Orientalis pariter circa animam non crediderit, quamvis ex duabus locutionibus in ſpeciem pugnantibus una in Occidentali præcipuè viguerit, altera in nonnullis Orientalis partibus uſurpata ſit. Sanè Plato facile triumphaverit, ſi quempiam tuorum Philoſophorum eò adegerit, ut dicat, *Occidentalem Eccleſiam olim erraſſe*. Quomodo enim Scholaſticus iſte probabit *Occidentalem Eccleſiam, circa eandem de animâ doctrinam, nunc temporis non errare*? Quapropter Hieronymus, *cùm animas ſingulas de novo fieri definit*, nihil prorſus docet, quòd omnes *traducis* authores non reipsà docerent. Nam *ſi Pater, verbum, & ſpiritus uſque modò ſingula de novo corpora operantur, cur non animas quoque ſingulas operantur*? Annon celeberrima Machabæorum mater (l. 2. macab. c. 7.) eodem modo dixit, neque animam, neque corpus liberorum à ſeipſa, ſed ab uno Creatore Deo formata eſſe? *Neque enim Ego ſpiritum, & animam donavi vobis, & vitam, & ſingulorum membra*

non ego ipsa compegi; sed enim mundi Creator qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem. Quòd si Deus corporis conditor & effector est, quamvis manifestissimum sit *per traducem* corpus à Parentibus communicari, cur animæ quoque non author, & effector erit, quamvis ipsa æque *per traducem* ad nos transmittatur? quid ergo testimonium hoc inepte obtrudis, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor?* *quid hoc* ad rem facit?

Hispanus. Siccine Hieronymum facis ineptum? non ego, sed sanctus Doctor testimonium obtrudit.

Gallus: Absit ut de tam sancto, tamque venerabili Magistro parum reverenter loquar. Ipsius quidem argumentationem secundùm se spectatam, & ab Hieronymi mente scriptisque separatam improbo, rideoque; sed quatenus ab ipso profertur, non rideo; sed expono.

Suppone hìc adesse unum aliquem de Tuis recentioribus, qui de Solis cursu quotidiano sic ajat, *peragratis celeri cursu cœlestibus terminis; postquam murum quendam, quod est boreale clima, sol subierit: elevante se Cappadocum solo, inumbratus quidem radiorum fulgor per sylvas, & aquas ex supernâ repressione firmamenti, perfractis ad latera radiis, lucesque exclusa ob terræ eminentiam, videlicet instar lampadis illius, cujus apud nos usus est. Quomodo enim si fax tecta desuper retegatur, & aliqua ex*

parte

parte inumbretur, tum lux in reliquum latus, quod ſit apertum effundit. Ita ſol orientem reſpectans, & occultè interea borealem plagam permeans. Eſtque nobis illuſtris teſtis divinus ille ſapiens Salomon. Oritur enim, inquit, ſol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Si quis, inquam, hominum inter mortales adhuc verſantium hæc mihi proponat, eum ego non ut Philoſophum; ſed ut delirum, atque ut omnis Phyſicæ, Aſtronomiæque imperitiſſimum excipiam; aut potiùs à me procul amandabo. At ſi quis ſubjciat hunc eſſe ſenſum, atque ipſiſſima verba B. Cæſarii quæ. 36. quem D. Gregor. Nazianzenus frater ipſius Geometriæ atque Aſtronomiæ ſcientiſſimum eſſe affirmat, tunc præ reverentia ſilebo, & quam potero, excuſationem adhibebo.

Similiter ſuppone quempiam Scholaſticum de Eclypſi Lunæ hæc præſidenter jactare, *Exiſtimo lucem, ac ſplendorem Lunæ infuſcari fuliginoſo, qui à terra uſque excitetur aere, immutarique hoc pulvere illius aſpectum, donec locum pulverulentum, caliginoſumque pertergreſſa fuerit; partim quippe pinguis, ac denſa, partim aduſta & cinerea; nonnullis denique in locis impurior, & gravior eſt terra; ex quo videtur mihi Luna pulvere obſita immutari.* Atque ut ad argumentum, aut potiùs ad Authorem noſtrum accedamus, ſuppone ſupercilioſum quendam ſenem hîc adeſſe, qui ſeveriſſi-

ma gravitate sic ajat, *alii verò QUI PHILOSOPHORUM STULTAM SEQUUNTUR SAPIENTIAM duo hemisphæria in duobus templis Cherubim, nos & Antipodas quasi supinos & cadentes homines suspicantur*; nonne ambos ejusmodi homines & crassissima ignorantiâ, & eâ quam Philosophis ineptè affingunt; stultitiâ laborare pronuntiabimus? At si quis ostenderit Prioris quidem sententiam ex B. Cæsarii orat. 10. quæst. 56 Posterioris autem censuram ex D. Hieronym. lib. 1. in Ezech. cap. 1. formalissimis verbis constare; profectò ab omni statim scommate, verboque minùs honorifico tunc abstinebimus: & quâ poterimus viâ interpretari tandem conabimur. Quòd si, vel in rebus, ubi vix ulla tolerabilis expositio cogitari potest; juxta rectam prudentiæ normam sic agendum est; quantò justiùs in metaphysicis quæstionibus, ubi vix ulla propositio formari potest, quæ falsi, verique sensus non ex æquo capax ostendi possit.

Hispanus. Nonne Platonici unà cum Origene docuerunt, *omnes Animas simul ab initio creatas esse, atque in thesauro Dei servari, unde propter peccatum in corporis carcerem gradatim detrudantur?*

Gallus. An nescis mysticè, & figuratè id à Platonicis assertum esse? Quid enim per ejusmodi verba significare voluerunt, nisi *omnia & singula entia & simul ab initio crea-*

ta. eſſe perfectè viventia & intelligentia, perfectæque adeò mentis, atque animæ naturam conſecuta, ſed ea quæ ſenſibilem hanc univerſitatem conſtant è libero felicique ſtatu Luminis, ac Dominii naturalis, in caliginoſam miſeræ corporeitatis captivitatem ob peccatum projecta eſſe. Sic tamen ut ex hac ipſa damnationis maſſa, quæ Theſaurus iræ Dei eſt, de novo fiant & exoriantur concretiones quædam adeò ſubtiles, tamque actuoſæ, habitâ caterarum ratione, ut ad intelligentiarum ſtatum accedere videantur.

XVI.

Hiſpanus. Rectè Tu quidem oſtendis juxta Platonis ſententiam ſingulas Hominum animas de novo fieri; ſed non oſtendis de novo creari.

Gallus. Et unde habes, quæret ex Te Plato, unde colligis Animas Hominum creari eo ſenſu, juxta quem Tu *creationem* ſumis? Senſum illum novum ſine fundamento veterum locutionibus attribui conquereretur. Quos enim antiquiorum Latinæ linguæ Auctorum ad ſignificationem iſtam arctaſſe monſtrabis? nonne inſuper ipſæ primæ & Geneſeos voces Hebraicæ, quas ita vertimus, *in principio creavit Deus cælum & terram*, in ſacra illa Lingua *generationem* exprimunt? Deinde Pythagorici ſuperſtites, ſive hodierni Sinarum Philoſophi ultrò confitentur Animas *de nihilo fieri*, quia per *nihilum* intelligunt

gunt *Atomos* cúm omnes tum præſer tim ſubtiliores ex quibus animam componunt. Unde tota ipſorum Philoſophia *de nihilo* vocatur & *à nihilo*, quod ipſi *Xin* nominant, celebre glorioſumque nomen habet. Præterea quis neſcit Rupertum exiſtimare *Angelos ipſos de materia creatos eſſe*? Quis neſcit ipſum Doctorem Seraphicum eandem in corporeis, & ſpiritualibus Creaturis materiam agnoſcere?

Quamquam, ut quod res eſt fatear, neque Rupertum, neque alium quemquam Ruperto concinentem Theologum hac in parte Socratis Diſcipulus approbabit. Is quippe nullam veris Spiritibus creatis materiam tribuit, præter cujuſque individuationem, ſeu *perfectionis ulterioris negationem*. Eaque propter ultrò concedit Animam rationalem, quatenus pro Ente indiviſibili, atque intellectuali accipitur, per ſolam efficaciſſimæ voluntatis divinæ actionem creari, è nihilo extrahi, & de nullatenus exiſtente exiſtentem fieri. Sed nihilominús contendit eandem Animam quatenus *actu* ſenſibilis eſt, & concretionem ac totalitatem cum ſui ſimilibus Entibus formar, verè generari, verè traduci, perque Parentes in Liberos tranſmitti.

Hiſpanus. Ergo duas ponit Animas, quarum altera innocens, bona, indiviſibilis, ingenerabilis, immortalis, veraque Divinitatis forma, & imago ſit; altera noxia, mala,

per

per *propagationem* transfuſa, perque traducem communicata? Ergo duobus Averroiſtarum, & Manichæorum erroribus implicitus Plato tuus eſt:

Gallus. Averroes, ejuſque Sectatores cùm per Concilia ſacra; tum per Theologos tuos meritò damnati, explosique sunt, quòd quam Animam universalem admitterent, eam neque informantem, neque pro conditione cujuſque ſingularis multiplicatam eſſe docerent: atque ita vel meram Stoicorum doctrinam inſtaurarent, vel potiùs quid dicerent, prorſus ignorarent. At quam Plato aſſiſtentem, & universalem animam vocat, ea vera forma, vera idea, vera Corporum perfectio poſitiva eſt: nec modò ſingularis, ſed ſola quoque propriè, atque eſſentialiter ſingularis eſt.

Rurſus Manichæi jure fulgurati, & deteſtabiles renuntiati ſunt, quòd ex duabus, quas crederent, animabus alteram *entitativè ex ſe, atque independenter ab omni peccato liberè commiſſo malum eſſe* conteſtarentur. Quod ex diametro pugnat cum principiis Platonicorum planè confitentium *omnia & ſingula Entia creata eſſe intrinſecè, abſolutè, atque eſſentialiter bona; ab unoque ſummè bono ente prodire.*

Jam quod ad duplicitatem animæ ſpectat, eam Platonici quidem apertè profeſſi ſunt; ſed in ſenſu planè recondito, & à vulgari (quem Tui ſolum detegunt) prorſus alieno.

Hiſpanus. Ecquis eſt iſte ſenſus uſque adeò reconditus, & à vulgari alienus ?

Gallus. Duplex ejuſdem Entis ſtatus, duplex vita, proindeque duplex Anima. Nam entia ex quibus humana mens conſtat, quatenus verſantur in ſtatu intelligibilitatis, ſunt *anima indiviſibilis, immortalis, ingenerabilis, & à ſolo Deo creabilis*; quatenus autem ſubjacent ſtatui ſenſibilitatis ſunt *anima diviſibilis, corruptibilis, & generabilis*.

Hiſpanus. Atqui non modò Animæ rationali, ſed omnibus etiam Belluarum animabus, nec tantùm animabus, ſed etiam corporibus (ex Platonis mente) ſtatus hic convenit. Cur ergo de ſola Hominis anima tam mira prædicant ? Cur non ipſam quoque Vermium, & Mulorum animam duplicem eſſe decernunt ?

Gallus. Propter ſolam quandam ſimilitudinem valdè imperfectam, quæ inter actus Animæ rationalis, & inter actus Entium veré intelligentium intercedit. Nam ſicut Lapis qui Alexandrum repræſentat, ex omnibus lapidibus ſolus Alexandri nomine, & omnibus fere Alexandri dotibus inſignitur, tametſi omnes reliqui lapides ejuſdem cum illo naturæ ſubſtantiæve ſint; ita prorſus, & non aliter ſola rationalis anima dicitur à Platonicis intellectiva, & omnibus intelligentiæ prærogativis ornata. Atque ut in ſolo Lapide Chriſtum infantulum divinæ Virginis ubera ſugentem exhibente, non Lapidis naturam,

ram, ſed ſolam, JESU, & MARIÆ formam ſpectamus, cùm eum veneramur, ſic in Mente noſtra non ſenſibilem, ſed intelligibilem naturam Platonici conſiderant, vulgòque laudant: quamvis in ea non ſecùs ac Nos in Statua duas proprietates valde differentes non raró diſtinguant. Quæ quidem duæ affectiones in anima tantùm noſtra, non autem in Statua *duplex Natura* dicuntur, quia quæ inter intellectum noſtrum atque inter veras intelligentias ſimilitudo reperitur, ea non ex Opificum *arte*, aut Hominum *induſtriâ* (ut ſimilitudo quæ Lapidi cum Jeſu & Maria ineſt) ſed ex internis, & per generationem communicatis, eoque ſenſu naturalibus principiis, actuum reflexorum cauſis emanat.

XVII.

Hiſpanus. An humanæ mentes per traducem gignantur, nec ne; in dubium fortaſſe revocari poteſt, quandoquidem maximus Doctorum Auguſtinus ad affirmantem partem nunquam non proclivior fuit; At quód *indiviſibilis* exiſtat, certiſſimum eſt: quandoquidem ipſe ſanctiſſimus Doctor ad Hieronymum ſcribens id omninò exploratum eſſe ait.

Gallus. Ego verò nunquam in dubium revocabo an quæ propriè humana Mens dicitur, dicique debet, per traducem gignatur, nec ne. Nam pró certo teneo, tenendumque puto illam per ſolam creationem

ſtrictè ſumptam à ſolo Deo prodire. Verùm quia non de meâ, ſed de Platonicorum ſententia in præſens agitur; quod *de ingenerabilitate*, hoc *de indiviſibilitate*, Animæ illos tenuiſſe ajo: ſcilicet Animam rationalem quatenus intelligibilis eſt, eſſe omnimode ingenerabilem, indiviſibilem. & immortalem; *quatenus verò ſenſibilis eſt* eſſe generabilem, diviſibilem & mortalem.

Hiſpanus. Nonne etiam quatenùs ſenſibilis eſt Animam indiviſibilem dicunt, & dici poſſe concedunt?

Gallus. Ita prorſus; ſed *quoad nos* tantùm non *quoad ſe*: quia reſpectu noſtri, ſeu habitâ ratione perceptionis noſtræ partibus caret: id eſt *in ordine* ad plurimos effectus valde ſpectabiles perinde eſt ac ſi partibus omninò careret, & prorſus inſectilis eſſet. Quàm quidem illorum expoſitionem Auguſtinus fortè non omnino rejiciet, cùm planè liquidum ſit ſanctum Doctorem, ſi de metaphyſicâ, aut *quoad ſe* indiviſibilitate ageret, non dubitaturum eſſe *an Anima rationalis propagatione generetur.* Hæc quippe duo tam manifeſte pugnant inter ſe, ut ne mediocre quidem ingenium, nedum Auguſtinianum in re millies ac millies diſcuſſa tam turpiter hallucinari unquam potuerit. Deinde quam ſententiæ ſuæ rationem ſanctus Præſul affert, *quod nimirum extrema plantæ pars tangi non poſſit, quin corpus illicò totum, caputque ipſum*

ipſum ſentiat æque de Equo, de Bove, imò de Serpente, ac de Homine probat, quem tamen Equum, Bovem, & Serpentem animâ diviſibili conſtare pro comperto eſt. Ergo vel ſtolidiſſimè ratiocinatum, vel de ſola quoad nos indiviſibilitate locutum eſſe Auguſtinum dicas neceſſe eſt. Denique Thomiſtæ cum Angelico Doctore ſuo ajunt ut Hominis ſic Animalium perfectorum animam indiviſibilem eſſe: atqui nullo modo probabile eſt ipſos hîc agere de indiviſibilitate *quoad ſe*. Tam quippe abſurdum, tamque aperte falſum eſt *Animas Equorum vg. indiviſibiles eſſe*; ut mihi nondum perſuadere poſſim homines ſenſatos quidpiam ſimile arbitrari poſſe: præſertim cùm D. Thomas contra Gentes c. 20. diſtinctè ajat *animam & vitam Brutorum eſſe Spiritum ex corde in cætera membra diffuſum ad vivificandum*. Quem ſpiritum è corde in cerebrum (ubi ſpiritus animalis fit) atque inde in cætera membra ſe diffundentem conſtat eſſe penitus, reque ipsâ diviſibilem, quamvis apparenter, reſpectuque multorum effectuum in pleriſque ſit indiviſibilis.

Hiſpanus. Deus immortalis! quales Tu Platonicos nobis exhibes! Nimirum quos hactenus velut unicos ſaltem præcipuos immortalitatis animæ Aſſertores prædicavimus, Tu animæ noſtræ quatenus illa ſenſibilis eſt qualis reverâ nunc eſt, Mortalitatis Profeſſores fuiſſe contendis?

Gallus. Prorſus erras. Nam mentem noſtram etiam quatenus illa ſenſibilis, & qualis actu eſt (in ſenſu legitimo, & cum iis quæ pauló ante dicta ſunt minimè repugnante) revera immortalem, indiviſibilem, ingenerabilem, à Deo ſolo creabilem, æternæque beatitudinis luce donandam eſſe penitus crediderunt: quia ſingulas ejus partes individuas non modò ſemper fore, ſed æternùm quoque felices atque intelligentes fore (deſinente ſcilicet actualis hujus ſenſibilitatis conditione) ſincerè ſibi perſuaſerunt.

Hiſpanus. Ut immortalitatis animæ hoſtes non fuerint; *Multiplicatores* certè fuerunt, tamque prodigi Multiplicatores; ut ipſam quoque beatam immortalitatem corporibus communicarint.

Gallus. Nulla illi corpora, quatenus corpora ſunt, ac ne ullas quidem corporum partes inſectiles, quatenus corporeæ ſunt, id eſt, remanente corporeitate actualis ſtatu, ſed tantùm quatenus illæ in perfectas animas intelligenteſve naturas tandem revertendæ ſunt, beatas unquam fore crediderunt: atque ita ſoli animæ rationali ſempiternam felicitatem tribuerunt.

XVIII.

Quæ quidem ipſorum ſententia, ut falſa prorſus ſit, ſubtilior tamen, ac primis altiſſimæ Philoſophiæ principiis quam veſtra con-

congruentior eſt. Sane (vel rejectis Academiæ placitis, & ſervatâ corporum eſſentialiter cæcorum, neque unquam corpora eſſe deſiturorum naturâ) ſolidiùs, ingenioſiùs, atque ad refutanda impiorum argumenta convenientius de anima noſtra philoſophari potuiſtis.

Hiſpanus. Quomodo?

Gallus. Aſſerentes illam ut perfectè unam (non ſecùs ac totus Homo unus eſt) ſic verè duplicem eſſe: ex duplici nimirum parte conflari, quarum altera generatione propagetur, mortaliſque ſit, altera de novo creetur à ſolo Deo, atque immortalis ex ſe ſit; & quarum neutra quidem, ſi abſolutè, ac ſecundùm ſe præciſè, ſeclusâque omni ſuppoſitione, ſpectetur, alteram exigat; ſed quarum tamen utraque, præſuppoſito qui nunc eſt rerum ſtatu, mutuam tum ſui, tum corporis unionem appetat. Inito quippe conſilio de extollendis ad ſupernaturale faſtigium Creaturis decrevit Deus *certum quendam Entium inter ſuperiora, & inferiora mediorum, ſed naturâ tamen ſuâ verè propriéque intellectualium ordinem omni actione, vitâ, ſubſiſtentiâ, & felicitate naturali ad tempus privare: nec niſi per intimam cum certa quadam anima corporea, cumque certo quodam corpore quod* humanum *dicitur, conjunctionem; ſingula ejuſmodi Entia illuminare, perque hujuſmodi illuminationem ad divinæ vitæ ſupre-*

me-

mæque felicitatis meritum perducere. Viciſſimque ſtatuit Deus, *ut nullum omnino corpus, corporeuſve ſpiritus ad eam, cujus capax eſt, gloriam, & beatitatem pervenire poſſit; niſi corporis humani aut corporeæ hominis animæ pars evadat; adeoque niſi per corpus & animam hanc cum uno ex illis entibus intellectualibus copuletur.* Quo ſane ſuppoſito perfectiſſimum eſt, quomodo mens quæ in homine individua, & immortalis eſt etſi abſolutè, ſublatâque omni ſuppoſitione, nequaquam indigeat corpore corporiſve ſenſatione, neque ab illis viciſſim exigatur, perque ſolam eſſentiam ſuam luminoſiſſima, beatiſſima, perfectiſſimaque naturaliter eſſe poſſit; tamen in præſenti rerum ſtatu eſſentialiter, atque intrinſecè corporis, corporeæque animæ unionem appetat, ejuſque viciſſim unio à corpore, corporeaque anima eſſentialiter atque intrinſecè appetatur. Omne quippe & unumquodque Ens nihil magis intrinſecè, nihil magis naturaliter, nihil magis eſſentialiter quam felicitatem vel naturalem, vel ſi negetur illa, ſupernaturalem exigit: quia ſolam proprie felicitatem, cætera autem omnia propter ipſam unam exigit. Cùm vero felicitas naturalis in præſens negetur, nec niſi per ſupernaturalem, eaque nonniſi per intimam mentis cum corpore, & corporis cum mente connexionem obtineri poſſit; nihil magis intrinſecè, magis naturaliter, & magis eſſentialiter, ab utroque

ex-

expetitur. Quod ſanè totum planè conſentaneum eſt ſacris Auctoribus dogmaticiſque Conciliorum Canonibus *ad ſolum preſentem rerum ſtatum* attendentibus, nec metaphyſicas ſubtilitates ullo pacto curantibus.

Hiſpanus. Sic igitur convenientius de Anima noſtra diſſerere Noſtros potuiſſe opinaris?

Gallus. Ita prorſus. Nam quæ proponitur à Me Hypotheſis, nulli ex incommodis, & repugnantiis, quibus tuam ſubeſſe docui, obnoxia eſt.

Hiſpanus. Sed gravioribus, multóque gravioribus obnoxia eſt. Quis enim Catholicus duplicem hominis animam eſſe contra ſanctorum Conciliorum definitiones ſentiat? Quis Orthodoxus deſpectâ Canonum authoritate, Animam rationalem verè, atque eſſentialiter corporis humani formam eſſe neget?

Gallus. Quaſi verò Concilia omnem animæ duplicitatem improbent, aut alium quàm Averrois & Manichæi ſenſum damnent? Nonne utraque, de qua nunc agitur, Anima ſingularis, pro cujuſque Hominis diſtinctione diſtincta, & multiplicata eſt? nónne utraque bona atque eſſentialiter bona eſt.

Annon *Franciſcus Maironius*, *Antonius Mirandulanus*, *Thomas Grabius*, & *Fortunatus Lycetus* (ut de *Okamo* taceam) Catholici perfectique Catholici Doctores fuerunt?

Et

Et tamen illi apertè docent *Animam humanam compoſitam eſſe ex duplici ſubſtantia, aliâ incorporea, & immateriali, quæ à Deo creetur; alia corporea & materiali, quæ ex traduce progignatur, & quæ ſit quoddam medium, ſeu diſpoſitio, quâ intercedente divinior illa copuletur, cohæreatque cum corpore.*

Annon celebres tui Conimbricenſes in *I. de gener. cap. 4. quæſt. 21. art. 2.* horum Auctorum opinionem ab omni Cenſuræ nota eximunt? Annon apertè ajunt ejuſmodi ſententiam *neque hæreticam, neque erroneam*, eſſe reputandam.

Hiſpanus. Id illi quidem de Mayronii, Licheti, Garbii, & Sociorum opinione ajunt, rectéque ajunt; quia juxta illam, *eſſentialis formæ* natura in duplici parte animæ illibata perſeverat; at ſi nunc adeſſent, de tuis ſanè figmentis longè aliter ſentirent, cùm per ea *formæ naturalis* proprietas à diviniore illa, quam comminiſceris, anima, vel animæ parte penitus excludatur.

Gallus. Sed ſaltem tui Conimbricenſes animæ duplicitatem minimè vituperant, & citra *hæreſim*, atque *errorem* defendi poſſe affirmant. Ad alterum quod ſpectat, ut ab iis abſurditatibus, in quas Mayronius, & ſocii vobiſcum prolabuntur, me planè liberem; aliud quam illi, de intima, & *abſoluta* mentis incorporeæ natura, ſentio: ſed nihil tamen ſentio, unde non conſtet *animam*

TA-

rationalem, atque ipſam ejus diviniorem partem corporis humani formam eſſentialem eſſe. Quid eſt enim, quæſo, forma eſſentialis? nonne, ut vos ipſi etiam vultis, eſt *ſubſtantia incompleta quæ dum vacuum alienum tollit, ſuum quoque abigit: quæ dùm completur, mutuò complet: quæ perficit id à quo perficitur, ſed magis tamen perficit, quàm perficiatur*: *ideoque* forma, *non* materia *nominatur*. Atqui divina, & immortalis illa mens quæ in unam Hominis animam cum ſpiritibus animalibus coaleſcit, omni ſuâ beatitudine, vitâ, notione, adeòque omni verâ perfectione, ſubſiſtentiâ, & *complemento* naturali in præſens privata eſt: proindeque vacuum eſſentiale, naturale, & ſubſtantiale patitur: nec niſi per intimam cum corpore, corporeoque ſpiritu conjunctionem illùminari, & velle, adeòque beatitudinem tàm ſupernaturalem, quàm naturalem mereri, perque tale meritum conſequi poteſt. Ergo ſuum naturale, atque eſſentiale vacuum non aliter complere valet, quàm per verum cum corpore, corporeove ſpiritu conſortium. Ergo in præſenti conditione, quam à primo ſuæ creationis momento ſortitur, & quæ proinde, juxta ſanctorum Patrum locutionem, verè naturalis dicenda eſt (nam Eccleſiaſtici Auctores *naturale* vocant quidquid *à nativitate* vel *primâ origine* obtinetur, ſive id abſolutè, extraque omnem ſuppoſitionem exigatur, ſive ex merè arbitrariâ Dei voluntate pro-

proficiſcatur) in hac inquam, conditione præſenti, unionem cum corpore Anima expetit, quia felicitatem, quæ non aliter quàm perunionem hanc comparari nunc poteſt; ſumma, & omnium cogitabilium perfectiſſima exigentiâ poſtulat. Quo quidem modo quamvis à corpore pendeat, & per id perficiatur; plus tamen ab ipſa corpus perficitur, magiſque pendet: eò quòd illa cùm ſibi, tùm corpori *beatitudinem* per ſe, atque immediatè meretur; quam neque ſibi, neque animæ corpus mereri; ſed ad eam liberè merendàm media tantùm aliqua ſubminiſtrare poteſt. Eaque propter hæc *forma*, hæc *materia* jure nuncupatur.

Porrò tantum abeſt ut ejuſmodi doctrina Fidem vel leviter violet; quin potiùs ei, cùm pluribus de cauſis, tùm hinc maximè ſuffragatur, quòd per eam facilè declarari poſſit, *quomodo Chriſti, præſertim morientis Anima perfectiſſimè beata, & ſimul miſerrima, ſummèque triſtis, & cruciata fuerit*, quod in ſententia veſtra non modò non exponi, ſed ne concipi quidem poſſe videtur. Adeò ut Vobis, cùm Arrianorum, vel Infidelium inaniſſimas diſtinctiones ridentium certamen ſuſtinebitis, non aliud effugium quàm Hilarianum patere poſſit. *Chriſtum fictè tantùm, atque in ſpeciem, non reverâ doluiſſe, triſtemque fuiſſe.* Quod an dici poſſit, penes Te judicium ſit,

Deinde quòd hinc plana quædam via Nobis

bis aperiatur ad interpretandos, & cum fide catholica conciliandos ex Patribus Græcis, & Latinis eos *qui ſanctarum animarum felicitatem ad ultimum uſque Judicii diem differendam eſſe docuerunt.* Quæ ſanè interpretatio, concordiave tantò magis neceſſaria videtur, quantò ejuſmodi Patres tùm numeroſiores, tùm illuſtriores, atque antiquiores fuerunt.

Verùm, ut hæc mea Hypotheſis *de Animâ* placitis hac in re veſtris æquior, rationabilior, exponendæque Fidei commodior ſit; non ea tamen ſic placet, ut altera quædam longè concinnior, ſimulque facilior (quam in *Platone Chriſtiano* fusè illuſtraturus ſum) non mihi magis arrideat, atque ad tuenda Fidei dogmata non majus lumen, potentiuſque auxilium offerat, & polliceatur. Nunc autem mihi ſatis eſt adverſus Tuos demonſtraſſe *non verius quidem in multis, at certè rationabiliùs de anima rationali Platonicos quàm Scholaſticos diſſeruiſſe.*

OPUS

OPUSCULUM CORONARIVM.

HYPOTYPOSIS PHILOSOPHIÆ VULGARIS.

HISPANUS. Ut Tibi dederim, quæ *de Corporibus* & *Spiritibus* diſſeruiſti, non planè abſurda eſſe; negare ſaltem non potes quin ea, quam tradimus, Phyſica præclaram quandam, & valde diſtinctam rerum ideam mentibus noſtris exhibeat.

Gallus. Atqui contra nullam phyſicis quæſtionibus lucem, nullam rebus diſtinctionem, nullam menti noſtræ claritatem, ſed novam potius confuſionem affert.

Hiſpanus. Rem profectò magnam, & arduam ſuſcipis. Ex notis Philoſophiæ noſtræ principiis nullum in res phyſicas lumen diffundi quomodo Tu tandem probabis?

Gallus. Nullo ferè negotio id perfecerim, dummodo graphicam ſcholaſticæ ſubtilitatis effigiem, atque iconem oculo mentis contemplandam ſubjecerim. Quid enim, quæſo, tota Scholarum Philoſophia eſt, niſi magicum quoddam Palatium, quo nihil in

ſpe-

ſpeciem quidem ſolidius, pulchrius, atque ordinatius eſſe poſſit; ſed quo reipſa nihil inanius, fallacius, & confuſius exiſtat? Profecto quoties ad verboſas, & rerum vacuas Doctorum tuorum diſputationes attendo, toties videre mihi videor ſtupenda illa opticæ miracula, quæ in templis ſuis Itali nonnunquam repræſentant. Ubi ſacras ædes illas primum ingrederis, univerſos terrarum ſimul, & cælorum orbes, & univerſas utrorumque orbium pulchritudines tuis oculis ſpectandas ſeſe certatim offerre jurabis. Hic cælum radiantiſſimo ſolis fulgore coruſcans, hic cæruleos Oceani fluctus, ex profundiſſima voragine inſurgente, minaciterque impendentes; hic ambulacra, theatra, porticus, palatia marmore, jaſpide, ſituque admiranda; hic demum ſylvas, hortos, animantes, atque omnis generis homines, ad ſtuporem uſque, conſpicies. Quæ omnia, quo fixioribus obtutibus, vel è longinquo: vel è propinquo tantum intueberis; eo ſolidiora Tibi apparebunt: tam certe vera, tam nativa, tamque perfecta videbuntur, ut ipſam hic per ſe naturam adeſſe crediturus pene ſis. At ſi mirabiles adeo res contigeris, aut ſi medium machinarum locum ingreſſus, oculis omnia luſtraveris; tunc meros ſtipites rudiſſime ſectos, meros aſſerum male politorum acervos, mera deformiſſimarum, nec tàm pictarum, quam craſſo quodam pigmen-

gmento infectatum telarum involucra, meras denique lampadum innumerarum oleo accenſarum fuligines hîc latere obſtupeſces. Sic pariter Scholarum Philoſophia quamdiu vel à longè, vel deforis, hoc eſt, vel è remoto, vel è vicino quidem; ſed externo tamen è loco exploratur, tamdiu admirabilis, ac ſibi undique reſpondens apparet; tamdiu nihil eâ juſtius, nihil rationabilius, nihil perfectius eſſe videtur; tamdiu Creatorem à Creatura, Spiritum à Corpore, & ſubſtantiam ab accidente, & ſubſtantias quidem completas ab incompletis, & incompletas, quæ *creatione*, ab incompletis, quæ *eductione* producantur, diſcernit: tamdiu demùm qualitates à quantitate, & qualitates abſolutas a Modalibus, naturales à ſupernaturalibus admirabili methodo diſcriminat. At ſi doctrinæ fundum penetrâris, & prętermiſſo nominum cortice, penitiores medullas ſcrutatus fueris; tuncea philoſophandi ratione nihil obſcurius, nihil vanius, nihil homine ingenioſo indignius eſſe deprehendes. Meras hic larvas; meras illuſiones, meras nubes, meros fumos, nullam certitudinem, nullam firmitatem, nullam lucem invenies. Non aliter certè Doctores tuos excuſare poteris, niſi quòd meris verborum præſtigiis, meroque vento Diſcipulos, ac ſectatores ſuos paſcant, nihil reipſa exponant, & cùm certum, ac determinatum aliquid ſtatuere videntur; nihil tamen certum

ſta

statuant, nihil determinent, eaque tantùm dicant, *quæ ex vaga, & generalissima significatione sua, omnibus omnium Philosopharum sententiis perinde accommodari possint.*

Sanè quæcumque illi ferè de substantiis, de accidentibus, & de qualitatibus tradunt, ea in omnibus omnium Philosophorum opinionibus, tametsi oppositis, verissima sunt, quia nihil prorsùs definiunt. Quis enim neget humiditatem vg; & siccitatem esse *qualitates*, & *accidentia*, & *entitates* quis neget eam sensationem acutam, quam ab igne patimur, esse *calefactionem*? facultatem talis sensationis effectricem, quis neget esse calorem & calorem esse *qualitatem*? Similiter passionem illam obtusiorem, quam à gelu percipimus, quis neget esse *frigefactionem*, & frigus esse qualitatem? Nullus Democriti, Epicurique sectator id negabit. Sed quid hæc ad rem faciunt? quam clariorem notionem verba hæc ingenerant? confusiorem sanè, non distinctiorem ingenerant. Nemo certè, nisi stipes, aut vulgi, ac plebis stoliditati proximus, his, *accidentium*, *qualitatum*, & *entitatum* nominibus contentus erit, sed ulteriorem expositionem expectabit.

Atque ut vocales scholarum præstigias manifestiùs agnoscas, suppone hîc adesse Sinas, Indosque Philosophos, qui audito horologiorum nostrorum sono, perspectaque illa,

illa, quæ horas indicat, virga, nec tamen oculis; vel auribus agnita interiore machina, ignari, ſtupenteſque, tàm novæ, támque mirabilis rei cauſas perſcrutentur, deque illis cauſis ſtudiosè quærant, atque acerrimè contendant.

2. Suppone ex iis aliquos proximè ad verum accedentes exiſtimare *ſolo quarundam certarum machinarum motu, & figura, totam illam rationabilem loquacitatem, ſignificationemque conſtare.* Et cum omnes, ac ſingulas machinularum figuras, & motus, motuumque pariter, ac figurarum varietates, connexiones & ſubordinationes haud obſervarint; neque propterea diſtinctiſſimè, ac determinatiſſimè explicare poſſint, ab aliis omnibus rudioribus, & indoctioribus, ut delirantes, & impoſſibilia docentes, irrideri, atque explodi.

3. Suppone ſupervenire alios valde ingenioſos, qui quamvis ſuffragentur iis, qui ad verum jam proximé acceſſerunt, & quamvis idem cum ipſis ſentiant; ne tamen ſimiliter, atque illi rideantur, ſed ut ipſi potius plebem traducant, & ſtulta ipſius curioſitati fucum faciant, mirabilis horologiorum effectus animæ intùs latenti aut geniis, ſeu Dæmonibus penitus inhærentibus adſcribant; nomine *animæ dæmoniſve* figuram, & motum multiplicem intelligentes.

4. Suppone unum aliquem paulò naſutiorem tandem accedere, qui, cum videat, hanc

hanc de anima geniove perſuaſionem, infimis tantùm mentibus perſuaderi poſſe; mediocribus autem poſt aliquot examinis momenta, ne veriſimilem quidem apparere; tametſi neque á primis, neque ab alteris quidquam alienum ſentiat: proteſtetur tamen omnia longè aliter, multoque facilius declaraturum ſe eſſe: proindeque aſſerat mira & varia horologiorum effecta é multiplicibus, & variis qualitatibus exire, ſcilicet è *Tupinamborica*, *Quoniambeca Margajatica*, &c. ajatque *Tupinamboricas*, eſſe qualitates gravitantes, & motum rectum deorſum producentes: *Quoniambecas*, eſſe qualitates variè rotatiles, & multifariam circulatorias; *Margajaticas* demum eſſe qualitates variè dentatas, ſiſtentes, remittentes, impellentes, pulſantes, retrahentes, numerantes; &c.

Profectò ſi quis cum maxima multitudine hominum horologii fabricam nondum edoctorùm hoc tandem pacto philoſophetur, ille primis atque alteris haud dubiè præponetur: ſolidiora perſpectioraque tradere credetur; & unus tandem medios omnes genios Sectatores habebit. Cùm tamen certum ſit, haud aliter à primis ipſum diſcrepare, niſi quòd confusè, atque indeterminatè dicat, quidquid primi diſtinctè, certòque dicere conati ſunt.

Atqui neque ab Ariſtotele, neque à Scholaſticis quidquam aliud peractum eſt: nihil aliud Plato, Pythagoras, & alii emblema-

tum, ænigmatumque inventores præſtiterunt, quam quod ab alteris præſtaretur! nihil demum aliud à Democrito, Epicuro, & multis longé anterioribus tentatum eſt quam quod à primis omnia *motu* & *figura* explanantibus tentaretur.

Sed Scholaſtici veſtri viri ſcilicet optimi exiſtimarunt Ariſtotelem à ſecundis & a primis diſſentire: nec perviderunt ab ipſo talia dici, quæ nihil determinent: vel quæ certè mera ſint Platonicorum, Pythagoreorum, & Democriticorum dogmata, non phyſicé, ſed logicè, ſeu, ut male aitis, metaphyſicè deſcripta: quemadmodum admirabilium horologii effectorum *per qualitates* ſupra expoſitas deſcriptio, non phyſica, ſed *logica*, ſeu ut male vocatis, metaphyſica eſt.

Verùm hæc horologii *per qualitates* deſcriptio, quantumvis logica, & valde obſcura, neque homine perſpicaci digna, ſed cum infimo tantùm, aut medio ingeniorum ordine uſurpanda; clarior tamen certior, & multis partibus determinantior eſt, quam omnes corporum & corporearum affectuum definitiones a Scholaſticis excogitatæ.

Quid enim, quæſo, Scholaſtici præter qualitatis nomen tum generale, tum peculiare afferunt? Sane ut certa naturæ phenomena plane admiranda declarent, perperam meo quidem judicio, confugiunt *ad occultas*, neſcio quas entitates, & *qualitates*. Nullæ

apud

apud Scholaſticos qualitates occultæ, aut potius omnes, ac ſingulæ apud illos æque occultæ ſunt : ſed eas boni viri dicunt *occultas*, quibus nullum nomen adhuc impoſitum eſt; & eas *cognitas* appellant, & revera cognitas eſſe putant, quæ nomine aliquo peculiari ſignificantur. Fac ut exiſtat nomen, quod actionem illam, quâ magnes ad ſe trahit ferrum, & vertitur ad polum, tam propriè ſignificet; quam propriè nomen caloris ſignificat illam actionem, quâ ignis vellicat, fodicatque corpora noſtra prope admota; profectò tam una, quam altera qualitas, & actio nota erit, quia non clariorem unius, quam alterius notionem Scholaſticus habebit.

Jam verò perceptiones, quas de facto, Scholaſtici adipiſcuntur, tam circa varias *magnetis* tractiones & directiones, quam circa *remoræ*, *torpedinis*, atque aliorum corporum facultates, quas ipſi *occultas qualitates* vocant, hæ inquam, perceptione, non differunt, ut jam dixi, ab aliis ipſorummet Scholaſticorum circa ignis, vg. & glaciei virtutes perceptionibus, niſi quòd ad has, non ad illas externè indicandas peculiare nomen inventum ſit. Quòd ſi *gagos*, *matras*, & *paſtas*, torpedinis, aut remoræ affectionem, ſeu proprietatem ex inſtitutione propria ſignificarent; tunc ſanè juxta Scholaſticam philoſophandi rationem, non magis occultæ, quam quævis aliæ qualitates apud ipſos forent; quia

nequaquam diſtinctiorem aliarum, quam harum non ita obviarum qualitatum declarationem tradere poſſent.

Cæterùm quemadmodum illi ſoli, qui ex figura, & motu facultates horologicas manifeſtare conarentur, philoſophicè agerent, quia ex rebus per ſe notis, cauſam ignotam ſoli detegerent; ita qui mirabiles naturæ operationes ſubtiliſſimis quibuſdam machinulis, hoc eſt figuris & motibus variis per ſe manifeſtis declarare tentant, inter philoſophos ſolì habendi ſunt.

Hiſpanus. Sed quinam, quæſo ſunt, qui mirabiles naturæ operationes ita declarant? Neminem profectò talem, etſi diligenter ac diu quæſierim, nanciſci licuit. Quamobrem depoſito vehemente, quo in Philoſophiam dudum arſeram, amore ad ſacratiores literas & ſolidiora Theologiæ ſtudia me totum convertere decrevi. Quod quidem animi mei propoſitum diſputationibus tuis adeo non labefactati, ut contra confirmaveris. Nam cùm mihi certum ſit eam, quæ apud Nos traditur, Philoſophiam (ſi qua eſſe poſſet) optimam, & veriſſimam fore; neque ab alteris quam ab Hiſpanis quidquam profundum, ſubtile, ac reconditum inveniri poſſe; eâ ſemel exoſa omnem omnino Philoſophiam averſor, ejuſque ſtudium omne prorſus inane, ac Genio tantillum heroico indignum reor. Fateor igitur Noſtrorum Sophiſticen, ut in ſpeciem

ſpeciem invictiſſima & penetrantiſſima ſit, nihil præter barbaram phalerarum magnificentiam, aut bruta ventoſarum vocum fulgetra jactare: fateor Mendozas, Oviedos, Arriagas noſtros ne levi quidem tactu vel ipſum corticem rerum pertingere, cùm minutiſſima rerum viſcera pandere, atque omnia penitus enucleare ſe ſuperciliosè aſſeverant: ſed fateor pariter nullam ullius Gentis, Sectæque Philoſophiam noſtræ præferendam, omnemque ideó prorſus negligendam eſſe: fateor ipſum Platonem tuum de fuco tantùm faciendo, de ſola oculorum acie perſtringenda, de ſola nimirùm idea quadam magnifica mentibus objiciendo ſollicitum eſſe. Cujus enim, quæſo, rei ſingularis naturam rimatur? An aliud agit quam ut circa leviores veritatis ornatus, atque appendices aut circa idealis cujuſdam veritatis ſimulacra ludamus? An non quolibet in opere permiſcet omnia, confunditque univerſa? An clarâ, diſtinctaque methodo Logicam a Metaphyſica, Metaphyſicam à Phyſica, Phyſicam ab Ethica ſeparatim tractat? Fabuloſas tantùm, pueriles, interioris medullæ vacuas, omnis ordinis perturbatrices, ad ſummum politulas, atque urbanulas Diſſertationes nobis obtrudit: Nullum certè integrum, planum, atque ex ſe aptum Philoſophiæ corpus; nullam principiorum catenatim ſeſe complectentium ſeriem nobis repræſentat. Talis denique eſt ut ejus,

non ſecus atque ipſius Stagyritæ confuſiſſimi Lectio ab omni me Philoſophiâ procul avocet, & ad Theologiæ penetralia non reluctantem traducat.

Gallus. Antequam omnimodum omni Philoſophiæ nuntium mittas, & eam, quæ Platonis eſt, decretorio judicio ableges; ipſam ſua in principia nitidè diſtributam: atque in Logicam, Phyſicam, Ethicam ordinatiſſimè tandem digeſtam velim priùs mecum attentius introſpicias. Nam ſi ſemel integrum divinæ Philoſophiæ corpus, & miram omnium inter ſe illius principiorum connexionem non obiter, ſed otiosè intuitus fueris: tanto fortaſſe majori pretio, & delectamento erit; quantó majori nunc deſpectui, & faſtigio eſt. De hac enim maximè Auguſtinus ait *ipſum verum non videbis niſi in Philoſophiam totus intraveris.* Et quamvis illa (vel quando totam contemplatus eris) divinarum humanarumque rerum notiones tantùm generales exhibitura ſit, quidquid tamen altum, profundum, certum, atque ut ita dicam beatificum, heroicoque ingenio dignum eſt, elucidabit.

Hiſpanus Sed nihil religioſa, piâque mente dignum elucidabit. Quem enim, quæſo pietatis ſenſum inſpiratura eſt, quæ omnem libertatem, omne meritum, omnem denique ſupremi numinis providentiam à præſenti ſtatu excludit?

Gal-

Gallus. Atqui ex una ſui parte tollit, hic ex altera, quâ priorem corrigit, religionem, preces, ſacrificia, Deique metum pariter, atque amorem Philoſophia Platonis inducit: Eoque pacto Lanceæ Achilleę inſtar, vulneri, quod infert, ipſa medetur. Exploratum certè eſt nullam unquam ſectam fuiſſe, quę potiorem morum, adeoque pietatis rationem habuerit. Quo enim, quęſo, pręcipua Platonicorum cura vergit, niſi ut Morales ad virtutis ſtudium & Divinitatis cultum impellant? Platonem certè *cæteris religioſiorem* Irenęus facit, & conſentientes hac in parte reliquos Patres habet. Verùm quid unus è Peripateticis recentioribus *Gallutius*, ajat, velim obſerves. *Plato*, inquit ille, prefat. in moral. Ariſt. *Dialogum de virtute, hoc eſt decem illa volumina de Republica compoſuit, quorum argumentum eſt impios, injuſtos, alienos à Deo, quamvis religioſiſſimi vulgò putentur, ſintque opibus florentiſſimi; infeliciſſimos tamen habendos eſſe, acque omni prorſus ærumnarum genere cumulatos: contra verò quos miſeros, arumnoſoſque vulgus appellat, modo præpotenti Deo amici ſint & gratioſi eò feliciores eſſe judicandos quò magis expoſiti fortunæ ſunt, atque apud populum ob rectè facta & publica beneficia majori verſantur in odio. At hæc ſumma videtur eſſe literarum Sacrarum omnium, ejuſque ſapientiæ, quæ Salomonis commendata pronuntiatis eſt, oraculiſque ſanctiſſimis evulgata.*

Hiſpanus. Pietati quidem, ac Religioni, ſed generali tantum, non Chriſtianæ, Pelagianorum Patriarcha, & Magiſter Philoſophus patrocinatur.

Gallus. De quibus ergo præterquam de Platonicis Auguſtinus ait, *paucis mutatis verbis, atque ſententiis Chriſtianos fore?* An de alio quam de Platone Philoſophus noſter Juſtinus ait, *quòd nihil diſtet à Chriſtianis*, quam egregia ſunt quæ dignus idem Chriſti Diſcipulus adjungit, *Etenim Plato perinde ac cælitus deſcenderit, atque ea quæ ſurſum ſunt, accuratè didicerit & pervidarit omnia*, &c. Nonne idem ipſe ſanctiſſimus Martyr de ſeipſo refert cùm Ethnicus adhuc verum quæritaret, ſe à Peripateticis in impietatem tractum, à Pithagoricis per longas vias circumductum, à ſolis Platonicis in arcana fidei Chriſtianæ introductum eſſe? Nonne demum huic ipſi Philoſophiæ Platonicæ ſtudio admirabilem Anguſtini converſionem *Collius* tribuit?

Jam Clemens Alexandrinus quàm præ ceteris Platonem prædicat? *ſic itaque* (ait) *Veri amator Plato veluti à Deo incitatus dicit* &c. Et alibi: *Undenam, ô Plato, veritatem conjicis undenam abundè ſuppeditata rationum copiâ, pietatem, & verum Dei cultum vaticinaris?* Nec minus dignè Arnobius commendat his verbis, *Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia ſentiens*, &c. Et alibi, *Platoni*

toni apertior de Deo, de rebus ipſis, & nominibus oratio. Magiſtro Diſcipulus celebris Lactantius concinit, cùm poſt expoſitam Platonis ſententiam exclamat, *Quid ſublimius dici poteſt de Dei eſſe, & ejus opificio?* Ambroſius verò Platoni ſic addictus fuit, ut *Timæum* ejus, commentariis, qui Barbarorum furore perierunt, illuſtrarit. Ipſe Ambroſii Præceptor Simplicianus non mediocriter lætatus eſſe dicitur quòd non alios quàm Platonicos libros à Victorino Chriſtianó latinitate donatos Auguſtinus diſceret, ac ſectaretur. Quin ne ipſe quidem Theodoretus ſine laude præteriit. Ergo, inquit ille, *ad Platonem oratione mea tranſibo. Vehementer enim hominem laudo qui in iis quæ ad Mundi finem pertinent, proxima Nobis ſic loquitur.* Et alibi opponens ipſum Ariſtoteli, *neque autem Plato eodem modo ſe geſſit, ſunt enim laudæ prorſus & admiratione digniſſima quæ de Ente Deo is in Timæo ſcripſit.* Verùm tam illuſtria ſanctorum Patrum teſtimonia glorioſius cumulat Nobiliſſimus Viennenſis Eccleſiæ Matris meæ Doctor Claudianus, ſancti Præſulis Mammerti frater digniſſimus, cum lib. 2. de ſtatu Animæ, doctrinam Platonis ſic extollit. *Mirari admodum dignè nequeo, quòd ante puerperium Virginis, ante Dei incarnationem, ante Hominis reſurrectionem, ante prædicatam ſummæ Trinitatis in Gentibus unitatem ineffabilem, tres unâ in Divinitate perſo-*

nas, laudabili uſu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quæſivit, invenit, prodidit.

Quid plura? nonne Meſſiæ adventum pollicitus Plato eſt? nonne cœleſtem illum Magiſtrum deſcripſiſſe dicitur, non tantum ut *ſui ſimilem*, quemadmodum Legiſlator Hæbræorum, ſed veluti ſe multò digniorem, humanaque ſorte ſuperiorem: ſanè in Dialogo *de voto*, poſtquam quæ orandi Dei vera forma ſit, percunctatus eſt, ſtatim reſpondet *Venturum è cœlo Magiſtrum, qui germanam colendi, exorandique Dei rationem Mortales omnes edoceat.* Et de legibus Dialogo 4. Par eſſe ut Deus & regulam, & menſuram ſe nobis præbeat, atque idcircò aliquem Deum hominem in aliqua Orbis parte naſciturum eſſe. Venturi certè Meſſiæ dolores, tam expreſſè vaticinatur 2. de Republica, ut apud Iſaiam vix quidquam diſtinctius reperiatur. *Juſtus*, ait ille, *cædetur: torquebitur, & vincula patietur*, &c. *atque demùm omnia mala perpeſſus in crucem tolletur.* Quod de Chriſto dictum eſſe Clemens & Euſebius atteſtantur. Denique morti proximus, ut Rodiginus & Ficinus referunt, quæ in Dialogo de voto, & 4. de legibus ſcripſerat, planè confirmavit, dum monuit *tantiſper ſuis acquieſcendum documentis, commonitionibuſque, donec auguſtior quidpiam, ſacratiorque ſeſe in terrarum oſtendet orbe, veritatis arcanas fontes recluſurus, quem veluti ducem ine-*

narra-

narrabilem inſequantur omnes. Quæ omnia roboris non parum acciperent, ſi quam multi putant; tam reipsà clarè traderet Auguſtinus Epiſt. 16. Adventum Meſſiæ Platonicos expectaviſſe.

Denique ut paucis, quæ memorata ſunt, complectar, quem libris adverſus Academicos exaratis Auguſtinus, hunc ego diſputationi noſtræ finem impono. *Nulli dubium eſt* (ſancti Doctores verba ſunt lib. 3. cap. 20.) *gemino pondere Nos impelli ad diſcendum: authoritatis atque rationis. Mihi autem certum eſt nuſquam prorſus à Chriſti authoritate diſcedere, non enim reperio valentiorem. Quod autem ſubtiliſſimâ ratione perſequendum eſt: ita enim jam ſum affectus, ut quid ſit verum non credendo ſolum, ſed etiam intelligendo apprehendere impatienter deſiderem, apud Platonicos me interim quod ſacris literis non repugnet, reperturum eſſe confido.*

Hiſpanus. Etſi Chriſtianæ Fidei utcumque, non tamen Catholicæ doctrinæ conſentaneum quidquam reperturus apud illos es, qui cunctarum hæreſeon fautores extiterunt. An neſcis ex Platonis Academia, velut ex Trajano Equo, errores omnes, qui per quinque ſecula Eccleſiam impugnarunt, profuſos eſſe? Quapropter tam periculoſus Magiſter Scholaſticis omnibus haud immeritò diſplicet, intactuſque relinquitur potiùs quam refutatur. Ut enim Syrenes non tam repellendæ,

quam fugiendæ ſunt ; ita illecebris, lenociniisque Platonis non tam juvat reſiſtere, quàm oculos atque aures occludere.

Gallus. O te ſagacem, atque emunctæ naris hominem ! an neſcis Doctores tuos hinc maximè damnari poſſe ? an non Ariſtotelem perinde ac Platonem antiquiores Hæretici laudarunt. ſectatique ſunt ? an non Carpocratiani, & Theodoſiani Ariſtotelem pro Deo adorarunt ? an non Hieronymus contra Luciferianos ait : *Arianos de fontibus Ariſtotelis mutuari argumenta quæ ſapientia ſæculi eſt* ? An non Epiphanius iiſdem exprobrat, *quòd fuerint novi Ariſtotelici, & ab Ariſtotele veneni jaculationes ſibi ipſis affricuerint* ? An non Cyrillus cùm ab omnibus Philoſophis, tum præcipuè ab Ariſtotele cavere jubet ? an non Ariſtoteli magis quam Platoni addictus Joannes Philoponus Monophyſitis, & Tritheitis Hæreticorum monſtris originem dedit ? an non demum Abaillardi, Gilbertique Porretani Sectatores Ariſtotelem maxime omnium coluerunt ? Et tamen Ariſtotelem legitis, interpretamini, defenditis, & exornatis ! cur ergo Platonem abjicitis, aut aſpernamini ? cur non perinde ſequimini, & illuſtratis ?

Verùm ut ſincerè me tecum agere noveris, fateor ultrò priſcos Hæreticos, maximam partem, Platoni apertius quam Ariſtoteli adhæſiſſe. Nam cùm res divinas hìc ex profeſſo tra-

tractaverit, alter verò neglexerit; qui de myſteriis noſtris ſuperbius philoſophati ſunt, hunc potiùs quam illum vendicare ſibi debuerunt. Fateor igitur veteres Hæreticos ex mera Platonis doctrina non integrè, ſed partim tantùm arreptâ occaſionem errandi ſumpſiſſe, & puram ejus Phyſicam novis tantùm ænigmatibus, & figuris ex Evangelio traductis occultatam propoſuiſſe. Sed quid hinc, quæſo, concludendum eſt? Hoc certe unum, *fieri nullâ ratione poſſe. ut quiſquam intimos errores Gnoſticorum, Manichæorum. Origeniſtarum, Arianorum, Pelagianorum, & Neſtorianorum penitus norit, diſtinguat, & refutet. niſi reconditam Platonis doctrinam optimè calleat.* Quam enim temerarium, quam fatuum, & quam abſurdum eſt ea Te refellere quæ tu non capias? quam inſanum eſt ea Te explodere quæ funditus ignores? quis ferat plebem Æſopi fabulas fallitatis arguentem, & irridentem? Quis ferat Galenum Poëtarum Centauros ex Phyſicæ principiis ſeriò impugnantem? Quis denique non rideat eum qui Chymicos magiæ damnet, in eoſque velut in peſtiferos incantatores animadverti velit, quòd *Solem, Lunam, Mercurium Jovem, Martem, Saturnum,* ac *Venerem* ſuos ad fornaces adduci, ibique ſuis artibus colliquari glorientur? Atqui non minùs, imò longè magis latentes, ac myſtici ſunt omnes Hæretici veteres, vel cum aper-

illa, quæ horas indicat, virga, nec tamen oculis; vel auribus agnita interiore machina, ignari, ſtupenteſque, tàm novæ, támque mirabilis rei cauſas perſcrutentur, deque illis cauſis ſtudiosè quærant, atque acerrimè contendant.

2. Suppone ex iis aliquos proximè ad verum accedentes exiſtimare *ſolo quarundam certarum machinarum motu, & figura, totam illam rationabilem loquacitatem, ſignificationemque conſtare.* Et cum omnes, ac ſingulas machinularum figuras, & motus, motuumque pariter, ac figurarum varietates, connexiones & ſubordinationes haud obſervarint; neque propterea diſtinctiſſimè, ac determinatiſſimè explicare poſſint, ab aliis omnibus rudioribus, & indoctioribus, ut delirantes, & impoſſibilia docentes, irrideri, atque explodi.

3. Suppone ſupervenire alios valde ingenioſos, qui quamvis ſuffragentur iis, qui ad verum jam proximé acceſſerunt, & quamvis idem cum ipſis ſentiant; ne tamen ſimiliter, atque illi rideantur, ſed ut ipſi potius plebem traducant, & ſtulta ipſius curioſitati fucum faciant, mirabilis horologiorum effectus animæ intus latenti aut geniis, ſeu Dæmonibus penitus inhærentibus adſcribant; nomine *animæ dæmoniſve* figuram, & motum multiplicem intelligentes.

4. Suppone unum aliquem paulò naſutiorem tandem accedere, qui, cum videat, hanc

hanc de anima geniove perſuaſionem, infimis tantùm mentibus perſuaderi poſſe; mediocribus autem poſt aliquot examinis momenta, ne veriſimilem quidem apparere; tametſi neque á primis, neque ab alteris quidquam alienum ſentiat: proteſtetur tamen omnia longè aliter, multoque facilius declaraturum ſe eſſe: proindeque aſſerat mira & varia horologiorum effecta é multiplicibus, & variis qualitatibus exire, ſcilicet è *Tupinamborica*, *Quoniambeca Margajatica*, &c. ajatque *Tupinamboricas*, eſſe qualitates gravitantes, & motum rectum deorſum producentes: *Quoniambecas*, eſſe qualitates variè rotatiles, & multifariam circulatorias; *Margajaticas* demum eſſe qualitates variè dentatas, ſiſtentes, remittentes, impellentes, pulſantes, retrahentes, numerantes; &c.

Profectò ſi quis cum maxima multitudine hominum horologii fabricam nondum edoctorùm hoc tandem pacto philoſophetur, ille primis atque alteris haud dubiè præponetur: ſolidiora perſpectioraque tradere credetur: & unus tandem medios omnes genios Sectatores habebit. Cùm tamen certum ſit, haud aliter à primis ipſum diſcrepare, niſi quòd confusè, atque indeterminatè dicat, quidquid primi diſtinctè, certòque dicere conati ſunt.

Atqui neque ab Ariſtotele, neque à Scholaſticis quidquam aliud peractum eſt: nihil aliud Plato, Pythagoras, & alii emblema-

tum, ænigmatumque inventores præſtiterunt, quam quod ab alteris præſtaretur! nihil demum aliud à Democrito, Epicuro, & multis longé anterioribus tentatum eſt quam quod à primis omnia *motu* & *figura* explanantibus tentaretur.

Sed Scholaſtici veſtri viri ſcilicet optimi exiſtimarunt Ariſtotelem à ſecundis & a primis diſſentire: nec perviderunt ab ipſo talia dici, quæ nihil determinent: vel quæ certè mera ſint Platonicorum, Pythagoreorum, & Democriticorum dogmata, non phyſicé, ſed logicè, ſeu, ut male aitis, metaphyſicè deſcripta: quemadmodum admirabilium horologii effectorum *per qualitates* ſupra expoſitas deſcriptio, non phyſica, ſed *logica*, ſeu ut male vocatis, metaphyſica eſt.

Verùm hæc horologii *per qualitates* deſcriptio, quantumvis logica, & valde obſcura, neque homine perſpicaci digna, ſed cum infimo tantùm, aut medio ingeniorum ordine uſurpanda; clarior tamen certior, & multis partibus determinantior eſt, quam omnes corporum & corporearum affectuum definitiones a Scholaſticis excogitatæ.

Quid enim, quæſo, Scholaſtici præter qualitatis nomen tum generale, tum peculiare afferunt? Sane ut certa naturæ phenomena plane admiranda declarent, perperam meo quidem judicio, confugiunt *ad occultas*, neſcio quas entitates, & *qualitates*. Nullæ

apud

apud Scholaſticos qualitates occultæ, aut potius omnes, ac ſingulæ apud illos æque occultæ ſunt : ſed eas boni viri dicunt *occultas*, quibus nullum nomen adhuc impoſitum eſt; & eas *cognitas* appellant, & revera cognitas eſſe putant, quæ nomine aliquo peculiari ſignificantur. Fac ut exiſtat nomen, quod actionem illam, quâ magnes ad ſe trahit ferrum, & vertitur ad polum, tam propriè ſignificet; quam propriè nomen caloris ſignificat illam actionem, quâ ignis vellicat, fodicatque corpora noſtra prope admota; profectò tam una, quam altera qualitas, & actio nota erit, quia non clariorem unius, quam alterius notionem Scholaſticus habebit.

Jam verò perceptiones, quas de facto, Scholaſtici adipiſcuntur, tam circa varias *magnetis* tractiones & directiones, quam circa *remoræ*, *torpedinis*, atque aliorum corporum facultates, quas ipſi *occultas qualitates* vocant, hæ inquam, perceptione, non differunt, ut jam dixi, ab aliis ipſorummet Scholaſticorum circa ignis, vg. & glaciei virtutes perceptionibus, niſi quòd ad has, non ad illas externè indicandas peculiare nomen inventum ſit. Quòd ſi *gagos*, *matras*, & *paſtas*, torpedinis, aut remotæ affectionem, ſeu proprietatem ex inſtitutione propria ſignificarent; tunc ſanè juxta Scholaſticam philoſophandi rationem, non magis occultæ, quam quævis aliæ qualitates apud ipſos forent; quia

nequaquam diſtinctiorem aliarum, quam harum non ita obviarum qualitatum declarationem tradere poſſent.

Cæterùm quemadmodum illi ſoli, qui ex figura, & motu facultates horologicas manifeſtare conarentur, philoſophicè agerent, quia ex rebus per ſe notis, cauſam ignotam ſoli detegerent; ita qui mirabiles naturæ operationes ſubtiliſſimis quibuſdam machinulis, hoc eſt figuris & motibus variis per ſe manifeſtis declarare tentant, inter philoſophos ſoli habendi ſunt.

Hiſpanus. Sed quinam, quæſo ſunt, qui mirabiles naturæ operationes ita declarant? Neminem profectò talem, etſi diligenter ac diu quærierim, nanciſci licuit. Quamobrem depoſito vehemente, quo in Philoſophiam dudum arſeram, amore ad ſacratiores literas & ſolidiora Theologiæ ſtudia me totum convertere decrevi. Quod quidem animi mei propoſitum diſputationibus tuis adeo non labefactati, ut contra confirmaveris. Nam cùm mihi certum ſit eam, quæ apud Nos traditur, Philoſophiam (ſi qua eſſe poſſet) optimam, & veriſſimam fore; neque ab alteris quam ab Hiſpanis quidquam profundum, ſubtile, ac reconditum inveniri poſſe; eâ ſemel exoſa omnem omnino Philoſophiam averſor, ejuſque ſtudium omne prorſus inane, ac Genio tantillum heroico indignum reor. Fateor igitur Noſtrorum Sophiſticen, ut in ſpeciem

ſpeciem invictiſſima & penetrantiſſima ſit, nihil præter barbaram phalerarum magnificentiam, aut bruta ventoſarum vocum fulgetra jactare: fateor Mendozas, Oviedos, Arriagas noſtros ne levi quidem tactu vel ipſum corticem rerum pertingere, cùm minutiſſima rerum viſcera pandere, atque omnia penitus enucleare ſe ſuperciliosè aſſeverant: ſed fateor pariter nullam ullius Gentis, Sectæque Philoſophiam noſtræ præferendam, omnemque ideó prorſus negligendam eſſe: fateor ipſum Platonem tuum de fuco tantùm faciendo, de ſola oculorum acie perſtringenda, de ſola nimirùm idea quadam magnifica mentibus objiciendo ſollicitum eſſe. Cujus enim, quæſo, rei ſingularis naturam rimatur? An aliud agit quam ut circa leviores veritatis ornatus, atque appendices aut circa idealis cujuſdam veritatis ſimulacra ludamus? An non quolibet in opere permiſcet omnia, confunditque univerſa? An clarâ, diſtinctaque methodo Logicam a Metaphyſica, Metaphyſicam à Phyſica, Phyſicam ab Ethica ſeparatim tractat? Fabuloſas tantùm, pueriles, interioris medullæ vacuas, omnis ordinis perturbatrices, ad ſummum politulas, atque urbanulas Diſſertationes nobis obtrudit: Nullum certè integrum, planum, atque ex ſe aptum Philoſophiæ corpus; nullam principiorum catenatim ſeſe complectentium ſeriem nobis repræſentat. Talis denique eſt ut ejus,

non ſecus atque ipſius Stagyritæ confuſiſſimi Lectio ab omni me Philoſophiâ procul avocet, & ad Theologiæ penetralia non reluctantem traducat.

Gallus. Antequam omnimodum omni Philoſophiæ nuntium mittas, & eam, quæ Platonis eſt, decretorio judicio ableges; ipſam ſua in principia nitidè diſtributam: atque in Logicam, Phyſicam, Ethicam ordinatiſſimè tandem digeſtam velim priùs mecum attentius introſpicias. Nam ſi ſemel integrum divinæ Philoſophiæ corpus, & miram omnium inter ſe illius principiorum connexionem non obiter, ſed otiosè intuitus fueris: tanto fortaſſe majori pretio, & delectamento erit; quantó majori nunc deſpectui, & faſtigio eſt. De hac enim maximè Auguſtinus ait *ipſum verum non videbis niſi in Philoſophiam tutus intraveris.* Et quamvis illa (vel quando totam contemplatus eris) divinarum humanarumque rerum notiones tantùm generales exhibitura ſit, quidquid tamen altum, profundum, certum, atque ut ita dicam beatificum, heroicoque ingento dignum eſt, elucidabit.

Hiſpanus Sed nihil religioſa, piâque mente dignum elucidabit. Quem enim, quæſo pietatis ſenſum inſpiratura eſt, quę omnem libertatem, omne meritum, omnem denique ſupremi numinis providentiam à preſenti ſtatu excludit?

Gal-

Gallus. Atqui ex una sui parte tollit, hic ex altera, quâ priorem corrigit, religionem, preces, sacrificia, Deique metum pariter, atque amorem Philosophia Platonis inducit: Eoque pacto Lanceæ Achilleę instar, vulneri, quod infert, ipsa medetur. Exploratum certè est nullam unquam sectam fuisse, quę potiorem morum, adeoque pietatis rationem habuerit. Quo enim, quęso, prępipua Platonicorum cura vergit, nisi ut Morales ad virtutis studium & Divinitatis cultum impellant? Platonem certè *cæteris religiosiorem* Irenęus facit, & consentientes hac in parte reliquos Patres habet. Verùm quid unus & Peripateticis recentioribus *Gallutius*, ajat, velim observes. *Plato*, inquit ille, prefat. in moral. Arist. *Dialogum de virtute, hoc est decem illa volumina de Republica composuit, quorum argumentum est impios, injustos, alienos à Deo, quamvis religiosissimi vulgò putentur, sintque opibus florentissimi; infelicissimos tamen habendos esse, atque omni prorsus ærumnarum genere cumulatos: contra verò quos miseros, aerumnososque vulgus appellat, modo præpotenti Deo amici sint & gratiosi eò feliciores esse judicandos quò magis expositi fortunæ sunt, atque apud populum ob rectè facta & publica beneficia majori versantur in odio. At hæc summa videtur esse literarum Sacrarum omnium, ejusque sapientiæ, quæ Salomonis commendata pronuntiatis est, oraculisque sanctissimis evulgata.*

Hiſpanus. Pietati quidem, ac Religioni, ſed generali tantum, non Chriſtianæ, Pelagianorum Patriarcha, & Magiſter Philoſophus patrocinatur.

Gallus. De quibus ergo præterquam de Platonicis Auguſtinus ait, *paucis mutatis verbis, atque ſententiis Chriſtianos fore?* An de alio quam de Platone Philoſophus noſter Juſtinus ait, *quòd nihil diſtet à Chriſtianis*, quam egregia ſunt quæ dignus idem Chriſti Diſcipulus adjungit, *Etenim Plato perinde ac cælitus deſcenderit, atque ea quæ ſurſum ſunt, accuratè didicerit & pervidarit omnia*, &c. Nonne idem ipſe ſanctiſſimus Martyr de ſeipſo refert cùm Ethnicus adhuc verum quæritaret, ſe à Peripateticis in impietatem tractum, à Pithagoricis per longas vias circumductum, à ſolis Platonicis in arcana fidei Chriſtianæ introductum eſſe? Nonne demum huic ipſi Philoſophiæ Platonicæ ſtudio admirabilem Anguſtini converſionem *Collius* tribuit?

Jam Clemens Alexandrinus quàm præ cęteris Platonem prędicat? *ſic itaque* (ait) *Veri amator Plato veluti à Deo incitatus dicit* &c. Et alibi: *Undenam, ô Plato, veritatem conjicis undenam abundè ſuppeditata rationum copiâ, pietatem, & verum Dei cultum vaticinaris?* Nec minus dignè Arnobius commendat his verbis, *Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia ſentiens*, &c. Et alibi, *Platoni*

toni apertior de Deo, de rebus ipſis, & nominibus oratio. Magiſtro Diſcipulus celebris Lactantius concinit, cùm poſt expoſitam Platonis ſententiam exclamat, *Quid ſublimius dici poteſt de Dei eſſe, & ejus opificio?* Ambroſius verò Platoni ſic addictus fuit, ut *Timæum* ejus, commentariis, qui Barbarorum furore perierunt, illuſtrarit. Ipſe Ambroſii Præceptor Simplicianus non mediocriter lætatus eſſe dicitur quòd non alios quàm Platonicos libros a Victorino Chriſtianò latinitate donatos Auguſtinus diſceret, ac ſectaretur. Quinne ipſe quidem Theodoretus ſine laude præteriit. Ergo, inquit ille, *ad Platonem oratione mea tranſibo. Vehementer enim hominem laudo qui in iis quæ ad Mundi finem pertinent, proxima Nobis ſic loquitur.* Et alibi opponens ipſum Ariſtoteli, *neque autem Plato eodem modo ſe geſſit, ſunt enim laudæ prorſus & admiratione digniſſima quæ de Ente Deo is in Timæo ſcripſit.* Verùm tam illuſtria ſanctorum Patrum teſtimonia glorioſius cumulat Nobiliſſimus Viennenſis Eccleſiæ Matris meæ Doctor Claudianus, ſancti Præſulis Mammerti frater digniſſimus, cum lib. 2. de ſtatu Animæ, doctrinam Platonis ſic extollit. *Mirari admodum dignè nequeo, quòd ante puerperium Virginis, ante Dei incarnationem, ante Hominis reſurrectionem, ante prædicatam ſummæ Trinitatis in Gentibus unitatem ineffabilem, tres una in Divinitate perſo-*

nas, laudabili uſu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quæſivit, invenit, prodidit.

Quid plura? nonne Meſſiæ adventum pollicitus Plato eſt? noane cœleſtem illum Magiſtrum deſcripſiſſe dicitur, non tantum ut *ſui ſimilem*, quemadmodum Legiſlator Hæbræorum, ſed veluti ſe multò digniorem, humanaque ſorte ſuperiorem: ſanè in Dialogo *de voto*, poſtquam quæ orandi Dei vera forma ſit, percunctatus eſt, ſtatim reſpondet *Venturum è cœlo Magiſtrum, qui germanam colendi, exorandique Dei rationem Mortales omnes edoceat.* Et de legibus Dialogo 4. Par eſſe ut Deus & regulam, & menſuram ſe nobis præbeat, atque idcircò aliquem Deum hominem in aliqua Orbis parte naſciturum eſſe. Venturi certè Meſſiæ dolores, tam expreſſè vaticinatur 2. de Republica, ut apud Iſaiam vix quidquam diſtinctius reperiatur. *Juſtus*, ait ille, *cædetur: torquebitur, & vincula patietur*, &c. *atque demùm omnia mala perpeſſus in crucem tolletur.* Quod de Chriſto dictum eſſe Clemens & Euſebius atteſtantur. Denique morti proximus, ut Rodiginus & Ficinus referunt, quæ in Dialogo de voto, & 4. de legibus ſcripſerat, planè confirmavit, dum monuit *tantiſper ſuis acquieſcendum documentis, commonitionibuſque, donec auguſtior quidpiam, ſacratiorque ſeſe in terrarum oſtendet orbe, veritatis arcanas fontes recluſurus, quem veluti ducem ine-*

narra-

narrabilem inſequantur omnes. Quæ omnia roboris non parum acciperent, ſi quam multi putant; tam reipsà clarè traderet Auguſtinus Epiſt. 16. Adventum Meſſiæ Platonicos expectaviſſe.

Denique ut paucis, quæ memoratæ ſunt, complectar, quem libris adverſus Academicos exaratis Auguſtinus, hunc ego diſputationi noſtræ finem impono. *Nulli dubium eſt* (ſancti Doctores verba ſunt lib. 3. cap. 20.) *gemino pondere Nos impelli ad diſcendum: authoritatis atque rationis. Mihi autem certum eſt nuſquam prorſus à Chriſti authoritate diſcedere, non enim reperio valentiorem. Quod autem ſubtiliſſimâ ratione perſequendum eſt: ita enim jam ſum affectus, ut quid ſit verum non credendo ſolum, ſed etiam intelligendo apprehendere impatienter deſiderem, apud Platonicos me interim quod ſacris literis non repugnet, reperturum eſſe confido.*

Hiſpanus. Etſi Chriſtianæ Fidei utcumque, non tamen Catholicæ doctrinæ conſentaneum quidquam reperturus apud illos es, qui cunctarum hæreſeon fautores extiterunt. An neſcis ex Platonis Academia, velut ex Trajano Equo, errores omnes, qui per quinque ſecula Eccleſiam impugnarunt, profuſos eſſe? Quapropter tam periculoſus Magiſter Scholaſticis omnibus haud immeritò diſplicet, intactuſque relinquitur potiùs quam refutatur. Ut enim Syrenes non tam repellendæ,

tractaverit, alter verò neglexerit; qui de myſteriis noſtris ſuperbius philoſophati ſunt, hunc potiùs quam illum vendicare ſibi debuerunt. Fateor igitur veteres Hæreticos ex mera Platonis doctrina non integrè, ſed partim tantùm arreptâ occaſionem errandi ſumpſiſſe, & puram ejus Phyſicam novis tantùm ænigmatibus, & figuris ex Evangelio traductis occultatam propoſuiſſe. Sed quid hinc, quæſo, concludendum eſt? Hoc certe unum, *fieri nullâ ratione poſſe, ut quiſquam intimos errores Gnoſticorum, Manichæorum, Origeniſtarum, Arianorum, Pelagianorum, & Neſtorianorum penitus norit, diſtinguat, & refutet, niſi reconditam Platonis doctrinam optimè calleat.* Quam enim temerarium, quam fatuum, & quam abſurdum eſt ea Te refellere quæ tu non capias? quam inſanum eſt ea Te explodere quæ funditus ignores? quis ferat plebem Æſopi fabulas falſitatis arguentem, & irridentem? Quis ferat Galenum Poëtarum Centauros ex Phyſicæ principiis ſeriò impugnantem? Quis denique non rideat eum qui Chymicos magiæ damnet, in eoſque velut in peſtiferos incantatores animadverti velit, quòd *Solem, Lunam, Mercurium Jovem, Martem, Saturnum,* ac *Venerem* ſuos ad fornaces adduci, ibique ſuis artibus colliquari glorientur? Atqui non minùs, imò longè magis latentes, ac myſtici ſunt omnes Hæretici veteres, vel cum aper-

apertiſſimè loqui videntur. Ergo ut abſconditos illorum ſenſus refellas Platonicæ doctrinę omnium doctrinarum arcaniſſimæ ſtudium Tibi prorſus neceſſarium eſt.

Hiſpanus, Ego verò minimè curo quid inſani Nebulones iſti non tam ſenſerint, quam delirarint: ad idque unum in præſens, adſpiro, ut quid de ſacris fidei myſteriis penitus ſentiendum ſit, ſubtili ratione, vel qualicumque intelligentiâ comprehendam. Id autem non alibi quàm apud Theologos noſtros cæterorum facile Magiſtros, & Præſides aſſequi me poſſe pro comperto habeo. Quid enim tui Doctores, quicumque tandem illi ſint, & quocumque nomine ſuperbius glorientur; *de Gratia, & Prædeſtinatione* (quæ Auguſtino teſte unica ſapientiæ Chriſtianæ medulla eſt) hactenus exponunt, ac docent, niſi quod à duobus Hiſpanis Heroibus planè didicerunt? Sanè quod de Arrianis in vituperium Hieronymus; hoc Nos de Theologis noſtris in laudem affirmare poſſumus: quippe univerſus terrarum Orbis orthodoxus miratur ſe nunc quoque vel ALVARISTAM, vel MOLINISTAM eſſe.

Gallus. Atqui Tuos minus adhuc Theologos quam Philoſophos fuiſſe; & minùs à *Gratia*, quam à *Naturæ* illuſtratione laudis mereri *Theologia vulgaris refutata* demonſtrabit.

FINIS.

OPUS-

OPUSCULUM
DE COLENDA THEOLOGIS PHILOSOPHIA.

Quod superioris tractatuli proœmio destinatum quidem erat, sed quod deinde visum est subjiciendum hîc esse donec alterum in tractatum commodiùs, & fusiùs transmittatur.

Gallus. Ab illustrandis per Philosophiæ lumen Theologię tenebris cur prętер Tuorum morem tantopere abhorres? Cur istam rationis fugam cum Lutheranis, Anabaptistis, & Calvinianis veluti necessariam doctrinę sacrę basim substernis?

Hispanus. Haud aliis quàm Amici nostri verbis respondendum Tibi est *In conferendæ novæ legis beneficio* (monet ætatis nostræ Augustinus) *non hoc Dominus spectavit, ut scientiis expoliret nos: sed potius ut principiis quibusdam altissimarum rerum revelatis, & rationibus earum tectis, humilitate fundatos, & charitate*

ritate fervidos redderet. Nimirum ad locum unde per Protoplaſti iniquitatem in hoc exilium relegati ſumus, contraria nos via ſtuduit revocare Ille ſcientiæ magnitudine præcelluit, majoremque intemperanter appetendo potuit. Medicus igitur attenta ruinæ noſtræ cauſa ſanaturus ægrotum luminoſæ ſcientiæ cuncta rimanti, & penetranti ſubſtituit in Eccleſia ſua Fidem, cujus obſcuritate divina myſteria ita tegerentur, ut nos eorum cognitio ſine cognitione ſalvaret. Ex eadem quippe medicinæ methodo pro primæva abundantia noſtra paupertatem, pro deliciis quibus abuſi ſumus, difficultates, ac labores veluti ſpinas, ac tribulos præparando ſeminavit.

Gallus. Igitur ſi Te audimus, ſuprema Dei ſapientia exigit, ut poſt peccatum temerè, imprudenter, ac ſtultè agamus, & quidquid nobis credendum proponitur, illicò ſine rationis diſcuſſione, ſine prudentia, ſine luminoſæ, rimantiſque ſcientiæ penetratione credamus? Vult nimirùm Deus ut nos qui per primum ſcelus jumenta quodammodo apud illum ſumus, nonniſi per cæcam, præcipitem, atque intellectus expertem, Malorum denique propriam perſuaſionem (quæ cognitio ſine cognitione eſt) à peccato liberemur? O admirabilem Filiorum lucis claritatem! ſi ſic res ſe habet quid inter Chriſti, & Mahumetis diſciplinam intereſt? Nonne cæleſtis doctrinæ character præcipuus in hoc eſt,

eſt, ut nihil credendum proponat, quod, ubi accuratè diſcuſſum erit, à ratione alienum eſſe appareat, & quod non potiùs manifeſtæ rationis lumine prudenter credibile videatur?

Hiſpanus. Igitur aut fallunt, aut certè falluntur ſanctiſſimi Patres cùm ajunt totam Servatoris ſapientiam inſtar illius columnæ nubis eſſe, quæ ut Hæbræis ſcilicet parvulis, ſimplicibus, ignariſque mentibus ignem ac ſplendorem, ita Ægyptiis nempe ſapientibus, argutiſque hominibus tenebras, & caliginem creat? An ut voluntatis, ſic etiam intellectus obedientia (qualis fides eſſe definitur) ulla generoſior, ulla Deo gratior eſt, quàm quæ *cæca* perhibetur?

Gallus. Quaſi verò ſupremum numen, cujus eſſentia lumen eſt, alias quàm luminoſas in & præfulgentes tenebras amet, aut aliud quam *rationabile* mentis *obſequium* probet? Quin potiùs vix convenientiùs ad lucem quàm per lucem, ad ſapientiam quàm per ſapientiam, ad rationem quàm per rationem perveniri poteſt. Quâ nimirùm notâ ex Chriſti verbis boni à malis diſcernuntur, hâc eâdem notâ vera præ falſis dogmata inſigniuntur. Quòd ſi *malus odit lucem, ne manifeſtentur opera ejus*, falſa Religio Philoſophiam, ſubtilemque rationem odit, ne palmares ejus errores deteganter. Ut boni lucem diligunt, & palam, altoque capite ambulant; ita vera myſteria non tenebras captant, neque ſibi ex lucorum, atque um-

umbrarum horrore; ſed ex ipſius veritatis nitidiſſimo fulgore venerationem conciliant.

Hiſpanus. Quaſi verò Chriſtiana fides humana ratione, non divina tantum locutione, atque auctoritat enitatur?

Gallus. Enimverò ſola Dei loquentis auctoritate, ſapientia, & veracitate nititur; ſed quid, quæſo, Dei locutio eſt? Nam ſi rem quæ habita mentis tuæ ratione prorſus incerta, valdeque obſcura eſt, propter unum Dei teſtimonium firmiſſime credis, ipſum Dei teſtimonium longè certius, ac manifeſtius Tibi quam res credita eſſe debet. Quiſquis enim rem dubiam, planeque ignotam propter aliam vel magis, vel æque dubiam, aut ignotam credis, is ſtultiſſimus eſt.

Hiſpanus. Certiſſima quidem, ſed non tamen evidens Dei loquela eſt.

Gallus. Deus immortalis! & Tu quoque adhuc in tam populari, tamque craſſo errore verſaris? An certitudo *quoad nos*, de qua hic dumtaxat agitur, agive poteſt, ab evidentia *quoad nos* diſcerni valet? An non una, eademque res eſt? Verùm ut hoc ſe habeat, unde habes, unde collidis, unde certum Tibi eſt divinam loquelam illam certò exiſtere? Unde integna, penituſque latens illius certitudo indubitatiſſima Tibi apparet? Ut enim prudenter hoc judices, alicunde Tibi, nec *quoad ſe* tantum eſſe, *ſed quoad te* quoque fieri certiſſima debet.

Hiſpa-

Hiſpanus. Duplex in Deo diſtinguenda locutio eſt; interna nimirum atque externa. Interna Dei locutio, cum ſit ipſa Dei ſubſtantia, prorſus ignota eſt, nec niſi per externam ſub mortalium cognitionem venire poteſt. Quæ quidem externa Dei locutio nihil eſt aliud quam ipſa Prophetarum, Salvatoris, & Apoſtolorum vox, & vicaria vocis ſcriptura.

Gallus. Sed unde habes illam tum Prophetarum, tum Salvatoris, & Apoſtolorum vocem, & ſcripturam eſſe veram, & propriam Dei per eos docentis loquelam? Quid enim illa vox, ſcripturave continet, aut continere Tibi videtur, quod cum cæteris Hominum ſapientiam, & pietatem ſimulantium, Deique præcones ſe mentientium vocibus, & ſcripturis commune Tibi non videatur habere.

Hiſpanus. Habeo ex miraculis, atque ex ſuppliciis prope infinitis in ejuſmodi vocum, & ſcripturarum confirmationem editis, & toleratis: nec non ex aliis prope innumeris ſummam credibilitatem facientibus motivis.

Gallus Bene eſt; ſed inter innumera motiva iſta cur *apparentem credendorum dogmatum cum ratione conformitatem* minimè reponi vis? Cur eam ſolam credibilitatis partem à licitis, procurandiſque motivis excludis? Profecto quamvis Hominum, maximam partem, animus vel genii tarditate, vel ſtudiorum negligentia, vel à cunabulis inſita præoccupatione, vel peculiari Dei miraculo ſic præparatus ſit,

ut per ſolam prodigiorum, ſimiliumve rerum narrationem, vel lectionem adſequendam Chriſti fidem, non prudenter tantùm, ſed prudentiſſimè quoque Tecum moveantur; non deſunt tamen alij qui ex neceſſitate ſic affecti; eamque mentis diſpoſitionem vel à natura ſortiri, vel à ſtudio conſecuti ſunt, ut niſi tuis iſtis motivis aliud á ratione, Philoſophiaque petitum addideris, ad eandem Tecum perſuaſionem prudenter moveri non poſſint.

Verum ne præcipitantiùs, ſed gradatim progrediamur, in expendenda reſponſione tua pauliſper adhuc, ſi lubet, immoremur. Ex iis ſanè quæ ultrò confeſſus es omninò conſtat non ipſa in ſe miracula, ſed miraculorum propoſitionem Tibi factam, *eſſe unum id per quod Deus Tibi propriè loquitur, & ſe locutum eſſe loquitur*, id eſt *factam aliis revelationem ſuam Tibi revelat.* Atque ita non tam ea quæ extra Te ſunt, & dudum præterita ſunt, quam ea quæ intra Te, & præſentia Tibi ſunt, nimirum interna miraculorum extra poſitorum repreſentationes, atque ex repræſentationibus natæ de illorum veritate perſuaſiones id proprié ſunt, per quod Deus ſuam locutionem internam, tam aliis alias, quam Tibi nunc factam, Tibi manifeſtat.

Hiſpanus. Ita prorſus eſt.

Gallus. Ut ergo planius, diſtinctiuſque pro-

procedamus, tuam quidem, sed non tuo tamen in sensu, divinæ locutionis divisionem retineamus. Nam licet quæ Deo interna est, Homini externa sit, & quæ contra Homini interna est, Deo externa sit; omnis tamen vera, & propria Dei locutio vel Deo, vel Creaturæ interna est: atque ita commodè distribui potest *in activam* quæ Deo credendi obligationem imponenti; & *in passivam* quæ Homini ad credendum obligatio inhæret. Activa est *intimum Dei judicium, intimaque affirmatio de rerum credendarum veritate*: Passiva est *intimum Hominis judicium intimaque affirmatio de summâ divini hujus judicii atque affirmationis existentiâ, proindeque de rerum à Deo judicatarum, affirmatarumque credibilitate, vel ad eas potiùs credendas necessitate.* Et quia locutione activa nihil nobis per se ignotius, incertiusque est, neque aliter illa quam per passivam innotescere nobis, constareque potest, de activa, quæso, taceamus, & ad unius passivæ naturam penitus rimandam nos convertamus.

Hispanus. Hoc ipsum quæro, quid illa Dei locutio passiva sit.

Gallus. Nihil prorsus aliud est quam *judicium non qualecumque, sed evidens, ac necessarium non de ipsius quidem rei credendæ veritate: sed de manifesta rei hujusce credibilitate*, id est *de summa (si sempiternæ miseriæ periculum*

lum vitare velis) ad credendum neceſſitate. Id ſanè unum vera, & propria Dei, reſpectu tui, locutio eſt, quod per ſe unum Te obligat ad credendum, *eſtque ipſa*, Tui reſpectu, *formalis ad credendum obligatio*; Atqui tale prorſus eſt judicium jam jam expoſitum quandoquidem poſito præcisè tali judicio; & re, vel cogitatione ſublatis rebus cæteris, formaliſſimè obligatis ad credendum.

Hiſpanus. Omninò erras. Divina locutio non eſt ipſa formalis ad credendum obligatio, ſed id potius eſt, quod formalem hanc obligationem fundat, qualis eſt *motivorum ſufficientium ſufficiens ad prudenter credendum interna propoſitio.* Ex qua velut è radice, cauſaque proxima neceſſariò prodit judicium credibilitatis, ex eoque judicio *conſcientia*, ſeu *ultimum judicium practicum* per evidentiſſimam ratiocinationem hanc fluit. *Quoties aliquid prudenter credibile tibi manifeſtè apparet totics tenebris abſolutè illud credere: atqui tale, & tale dogma tibi nunc apparet, & manifeſtè apparet eſſe prudenter credibile; ergo nunc teneris abſolutè dogma illud credere.* Quæ ratiocinatio cum duabus præmiſis conſtet, quarum alteri per ſe nota, & primarium ſapientiæ practicæ principium ſit; altera verò immediata Tibi experientia pateat; quæ èx utraque deducitur concluſio ſupremæ infallibilitatis particeps, una conſcientiæ norma, vel ipſa

potiùs

potius *Conſcientia*, & formalis ad credendum obligatio eſt.

Gallus. Hoc totum tibi concedo; nam cùm tria hæc, *motivorum propoſitio*, *judicium credibilitatis*, *& ultimum judicium practicum, ſeu conſcientia*, ſeſe invicem neceſſariò trahant, vel pro uno ſumi, vel certè completa, & adæquata Dei locutio dici poſſunt. Vitandæ igitur contentionis gratia ponamus, quod minimè falſum eſt, propriam Dei locutionem paſſivam (eam nimirum, quia Deus unumquemque noſtrum interne proximeque alloquitur) eſſe *congruam illuminationem*, ſeu *ſufficientem ad ſapienter credendum motivorum propoſitionem*; Nonne hæc locutio credibilitatis motiva repræſentat?

Hiſpanus. Quin imò eſt ipſa formalis motivorum repræſentatio.

Gallus. Ergo ſi fides ſeu actus per quem credimus, nititur immediatè, ac per ſe locutione divinâ; profectò nititur immediatè, ac per ſe ipſis credibilitatis motivis, quia nititur ipſa formali motivorum repræſentatione.

Hiſpanus. Nequaquam. Nititur enim ſola locutione activa.

Gallus. Siccine in id unde profecti eramus, ſtatim relaberis? Unde habes activam illam locutionem exiſtere? An per aliud quam per locutionem paſſivam in activæ notitiam, vel Te confitente, venimus? Ergo propter ſolam

ſolam locutionem paſſivam eredere poſſumus prudenter activam. An non imprudens, ac formaliter incipiens actus ille eſt, qui locutioni activæ abſque ullo paſſivæ locutionis motivo adhæret? Dic, age quando proteſtaris *credo rem hanc ſic eſſe quia Deus id affirmat*, unde habes Deum id affirmare? An non externa hæc Dei affirmatio longè obſcurior Tibi eſt quolibet objecto materiali fidei? Igitur vel pecudis, inſanique capitis de more hoc dicis, vel contra ſapienter, & rationabiliter id ais? ſi vel Pſittaci, vel inſanæ mentis inſtar Te geris, non mirum eſt quod à Te per hunc actum res obſcura propter obſcuriorem, & quæ obſcurior eſt, abſque ulla ratione firmiſſimè aſſeratur. Quod ſi neque hebeſcis, neque inſanis dum hoc dicis, profecto cùm activa Dei locutio ex ſe obſcuriſſima, nobiſque incertiſſima ſit, hanc tu propter aliquam rationem aſſeris, ne tuus ille actus *in ſe* ac *formaliter* inſipientiſſimus exiſtat. Nec verò ſatis eſt quòd illa Dei loquela rationibus ante perſpecta fuerit, quid enim hoc ad hujus poſterioris actus (quo credimus) ſapientiam formalem facit, niſi hic ipſe actus in has ipſas rationes penitus tendat, ac per eas formaliter dirigatur? Sanè qui præcedunt actus, in eum qui ſequitur, nullam refundere poſſunt honeſtatem, prudentiamque formalem, niſi hic, qui ſequitur, actus ad eadem cum præcedentibus objecta reſpiciat, & omnibus, in qui-

præ-

præcedentes feruntur, rationibus coi fusè saltem indirectèque moveatur,

Verùm (ni fallor) una erroris causa tum hî, tum alibi ex humanorum actuum omnimodâ fere ignoratione procedit. Speculantur scilicet Doctorum plerique argumenta inaniſſima extra se posita, internos autem actus suos, quibus nihil magis nostrum est, introspicere negligunt, aut pueriles tantùm nugas, tricasque sophisticas in iis expendunt: Quorum quidem actuum si genuinam reconditamque naturam, & latentes fibras explorarent, haud dubiè perspicerent frequenter accidere, ut ea maximè per notiones nostras amplectamur, quæ maximè per illas fugere videmur. Sicut enim quoties *non propter Nos, neque propter ullam utilitatem nostram, sed propter unicam, maximamque Dei gloriam, & propter unum, purissimumque Dei amorem Nos aliquid agere* juramus & vere juramus, quia sic esse putamus, toties etsi non in speciem, reipsâ tamen per illum ipsum actum veriùs, & penitiùs, quam per ullum alium, unam, & summam utilitatem nostram prosequimur, quia summam Dei gloriam, summumque amorem, ejusque proinde claram notitiam, & dilectionem immediatam, quæ summa beatitudo nostra est, revera prosequimur; ità quoties per actum fidei tum rationem omnem, tum motiva ipsa fidem suadentia prorsus respuere, so-

lamque Dei auctoritatem sequi Nobis videmur, totics ipsam rationem, & quibus ratio nititur motiva sectamur, quia tota Dei locutio tam in Deo, quam in homine ratio est, eaque divinæ locutionis pars quæ Nobis inhæret, est *ipsa interna credibilitatis apparentia, atque adeò argumentorum vel ab extrinsecis, vel ab intrinsecis locis pendentium, & credibilitatem facientium congrua perceptio.* Atque ita quoties sic mente ais, *credo rem hanc quia Deus revelavit*, hoc ipsum, sed aliis tantùm verbis ais, *affirmo rem hanc, quia perspecta ratio vel ex miraculis &c. vel ex altissimæ Philosophiæ principiis deducta mihi persuadet ut affirmem.* Ratio quippe saltem communis, & ordinaria pars est interna divinæ locutionis per quam solam altera divinæ illius locutionis pars Nobis innotescit. Quo circa quisquis fidem omni rationi, omnemque fidei rationem opponit, perinde facit, ac qui humanitatem Christo, vel corpus homini opponit: nec magis absurdum est humanitatem à Christo, & corpus ab homine, quam rationem à fide excludere, quandoquidem non magis intrinsecè Christus ex humanitate, & homo ex corpore, quam locutio divina, proindeque fides ex ratione constatur.

Hispanus. Atqui novitatem tam incredibilem (quidquid hanc in rem subtilitatis exeras) nunquam mihi persuasurus es. Certiss.

tissimum quippe est omnia credibilitatis motiva cum actu fidei comparanda esse quemadmodum tibicines cum columnis marmoreis, vel trabes, ligneæque machinæ cum fornicibus, & amplis concamerationibus, quibus quidem exstruendis necessariò supponuntur, sed quæ tamen postea ut inanes auferuntur, statim atque ædificium perfectum est.

Gallus. Atqui ut tua ipsius comparatione te convincam, ligneæ machinæ tunc maximè sunt necessariæ quando fornix ædificatur, tuncque præsertim concavæ fornicis partes trabibus convexis verè fulciuntur, quando incipit, urgetur, finiturque opus; igitur si tua comparatio steterit, tunc præcipuè *motivorum activam Dei locutionem existere probantium fulcris* indiget actus fidei, quando actus ille primùm formatur, atque existit; quòd si tunc illis indiget, æternum sanè indiget, cùm eadem semper ejus natura sit.

Verùm cur in abstructissima quæstione, quæ ad propositum vix quidquam confert, quæ nullo certè modo necessaria est, tamdiu immoror? Ultrò ac palam concedendum Tibi est ad solam locutionem, auctoritatemve divinam, non ad ullam rationem creatam fidei actum respectare, soloque Dei testimonio non hominis ratiocinatione fundari; sed vicissim mihi concedas oportet

certa quædam motiva priùs neceſſariò repræſentanda eſſe, internamque illam repræſentationem, ſeu *congruam, & ſufficientem congruorum, & ſufficientium motivorum propoſitionem actibus fidei præire debere,*

Hiſpanus. Id totum concedo.

Gallus Atqui pro varia cujuſlibet hominis diſpoſitione varia quoque motiva, & variæ pariter illorum perceptiones eſſe debent: nam quæ credendi rationes, rationumque repræſentationes reſpectu multorum congruæ, ac ſufficientes ſunt, eæ ipſæ reſpectu aliorum minimè congruæ, neque ſufficientes exiſtunt.

Hiſpanus. Non diffiteor.

Gallus. Atqui certiſſimum eſt nonnullos ita mente, animoque conſtitutos eſſe, ut neque per miraculorum, neque per martyriorum, ſimiliumve rerum narrationem, aut etiam conſpectum ad firmiter credenda Chriſti dogmata prudenter impelli poſſint, niſi motivis ejuſmodi conjungantur certa quædam argumenta, quæ horumce dogmatum cum ratione conformitatem, certè non repugnantiam clarè oſtendant.

Hiſpanus. Omninò peribunt qui animo ſic conſtituti ſunt: neque enim Ægrorum, ſed tantùm Sanorum intelligentia cibus eſt, & quæ valentium eſca, quondam eſſe debuerat, infirmorum lethale virus ſcientia nunc eſt. Ab Adæ quippe ſcelere non amplius

pliùs per a tionis lumina, ſed per ſolas fidei tenebras ad ſalutem pervenitur: neque quidquam eſt quod capitaliſſimi noſtræ ſalutis Hoſtis conſilia magis quam ſciendi cupiditas promoveat. Quid enim, quæſo, præter fulgidum rationis jubar Cacodæmon primùm adhibuit, quid Progenitoribus noſtris, quâ primâ illos vice aggreſſus eſt præter intelligentiam promiſit? An non ſapientiæ Profeſſorem agens Ambobus ſtatim ait: *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.*

Gallus. Ergo non Ægrorum tantùm, ſed Sanorum etiam Ratio venenum eſt? neque ab Adæ dumtaxat ſcelere, ſed in ipſa quoque integritate naturæ, non veluti cibus oblata, ſed velut exitialis quędam cicuta, ſcientia interdicta eſt? Quam ergo fictitium diſcrimen illud quod inter utrumque ſtatum, hac in parte conſtituis?

Hiſpanus. Ut hoc ſe habeat, quod extricare in præſens ſuperfluum eſt, negare ſaltem non potes quin per Luciferi Miniſtros coruſcantibus Philoſophię radiis circumdatos priorum Hęreticorum acies perſtricta ſit, atque à Chriſto in cœlum aſſumpto contra Catholicam fidem ſola rationis tela protinùs vibrata, perdiuque jacta ſint.

Gallus. Ex callido, magniſque Imperatoribus uſitato ſtratagemate ſalutis humanę Hoſtis id fecit. Unde ſcilicet infirmior facile-

cileque oppugnandus erat, inde fortiorem ſe eſſe oſtentare ſtuduit. Quippe ne Chriſtiani per ſublimiſſimam, & latè pervagatam Platonicorum Philoſophiam (quod paucis mutatis proniſſimum erat) de toto Terrarum orbe brevi triumpharent, Simonianos, Carpocratianos: Cerinthianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos, Sabellianos, Arrianos, Neſtorianos, ac Pelagianos demùm ſuſcitavit, qui ſe in Angelos lucis transfigurantes, & nihil niſi rationem buccinantes, ita ſuſpectam atque exoſam apud Catholicos Philoſophiam effecere, ut ab ea quamvis amica; atque in auxilium ultro ſe offerente, velut à peſtifera quadam hydra quam longiſſimè declinarint. Ex quo tandem miſerabili ſucceſſu contigit ut perſonati ſycophantæ nobis velut hebetibus, atque ignaris homuncionibus inſultantes ſacrilego lucis alienæ furto perdiu potiti, & gloriati ſint.

Quòd ſi Catholici, ut facile poterant, arcaniore Philoſophorum diſciplinâ inſtructi jacta rationis tela in Adverſarios retorſiſſent; omnis illicò Tenebrionum ſplendor in tenebras mutatus, & fatuæ illæ diſcurrenteſque per ripas flammæ, aut cadentes per nocturnum aërem ſtellæ protinùs extinctæ, non minoriſaltem deſpectui habitæ eſſent, quam viliſſimi quidam vermiculi noctu ſublucentes, aut putrida quædam ligna inter umbras ni-

nitentia, quando exorto jam ſole ſordent, omnique lucis priſtinæ decore carent.

Tentaverat id quidem celebris Origenes, ſed ut rerum initia plerumque rudia, imperfectaque ſunt, in multos impegit errores. E quibus tamen per ſe ipſe, ipſius etiam rationis ope liberandus erat, ſi quæ tantùm delineaverat, emendare, & perficere per Æmulorum invidiam licuiſſet. Sed ut in multis reverâ peccavit, ſic plurium adhuc falsò inſimulatus, ramque furiosé inſimulatus eſt, ut excitatam in Eccleſia, per hoſtes quidem, ſed ſui tamen cauſa, tempeſtatem ſedaturus velut alter Jonas in mare ſeſe ultrò projecerit, id eſt ad perpetuum cum linguæ tum calami ſilentium ſe ſponte redegerit. Atqui é funeſto illo Adamantii male vexati exemplo cùm Ethnicis omnibus, tum Hæreticis fortiùs adhuc perſuaſum eſt *Catholicum fieri Neminem poſſe, qui non rationi, & ſapientiæ nuntium remitteret, & pecudis aut bebetis ingenii more ageretur.* Quapropter hinc auctâ in Hæreticis quidem Eccleſiæ contemptione; in Catholicis autem Philoſophiæ deteſtatione, errori ſtabiliendo ipſa veritatis arma militarunt, dumque generalem in proprio cælo Eclypſim paſſa eſt, in alienis Erebi ſedibus (quod prodigioſum) Philoſophia radiavit.

At cum labentibus ſeculis inde tandem ad proprium locum transferenda eſſet; cùm jam

in multis Orientis locis primæ Philoſophiæ ſtudia inſtaurarentur, cùm jam Auguſtinus de acquirenda reconditiore Myſteriorum intelligentia; deque illuſtrandis per Platonis lucem fidei myſteriis conſilium iniiſſet, proindeque periculum foret, ne revelata rerum medulla omnis fere circa res fidei difficultas, contentio, hæreſis, inferorum denique dominatio finem habitura eſſet; ad aliud armorum genus tranſeundum eſſe aſtutus errorum Artifex judicavit.

Ac primùm quidem per nonnullorum vel ſcandala, vel invidiam, certè per nimias, atque urgentiores occupationes à ſuſcepto pridem conſilio vaferrimus Sathan Auguſtinum revocavit: imò ſubinde per Pelagianorum cavillos, artes, inſultus, nimiamque ſubtiliratem ad ſimulatam Philoſophiæ fugam confugere coëgit: donec tandem in univerſum quam latè patebat Romanorum imperium induxit barbariem, cæcitatem, inſcitiam & tetriorem Ægyptiâ caliginem, per horribiliſſimam Gothorum, Vandalorum, Alanorum, Hunnorum, Longobardorum, Sarracenorum; & poſtea Turcarum, & Tartarorum, aliarumque humanitatis, ac literaturæ omnis peſtium eluviem. Tuncque demum rejectâ larvâ, & depoſitis armis alienis propria tandem arma induit, arma *Principe Tenebrarum* digna, ſcilicet ignorantiam, & rationis contemptum. Quibus quidem armis

mis genio ſuo reſpondentibus Eccleſiam adorſus, neque incaſſum adorſus eſt. Uno quippe aut altero ſeculo plura per ignorantiam, quam quinque antea ſeculis per ſcientiam damna intulit: totuſque fere terrarum orbis ingem ſcens adhuc miratur ſe *Mahumetanum*, aut *Prædeſtinatianum* eſſe:

Fateor igitur ab Apoſtolorum temporibus uſque ad Auguſtini ætatem verſutos tenebrarum Angelos lucem mentitos eſſe, rationis amorem præ ſe ferentibus Hæreticis fere omnibus: ſed pariter fateor ab Auguſtini ætate ad noſtra uſque tempora hos ipſos inferorum Tyrannos perſonâ depoſitâ Philoſophiam infamaſſe: perque deteſtabiles Mahumetanos in Oriente; per rabidos verò Prædeſtinatione in Occidente, profligatâ ratione fidem pene profligaſſe.

Quin hoc etiam inſuper adjungo per nonnullos Rectores Catholicos, ſimplices illos quidem, ac bonos viros; ſed ſublimioris metaphyſicæ expertes, atque à ſubtiliore rerum ſpeculatione alienos, haud fortaſſe leviora, quam per hoſtes ipſos detrimenta tartareum Serpentem cauſaſſe: dum miniſterio, & ſuaſione ipſorum rationem ipſam Doctoribus ſuſpectam effecit: à myſteriorum explanatione Philoſophiam removit: atque ita incredibilem tam apud Ethnicos, quàm apud alios fidei noſtræ contemptum peperit. Negari certè non poteſt quin è Myſtis noſtris

complures per hunc Philoſophiæ horrorem non paucos mortales illuſtriſſimo Martyri Juſtino haud abſimiles, una ſcilicet ratione flexibiles à capeſcenda ſalutis via procul avocarint.

Hiſpanus. Atqui ex miraculis nec non ex aliis (quibus abundamus) rationibus credibilitatem efficientibus iſti tui ſapientes moveri poterant.

Gallus. Quæ miracula tantùm narrantur, nec modò fiunt, neque oculis uſurpantur, ea mihi crede, haud ratò fidem non tam ſuadent, quam exigunt: nec quibuſdam minùs ad credendum difficultatis afferunt, quam facilitatis.

Deinde (quod caput eſt, remque totam conficit) ſicut externa quædam prodigia, & ſupra notas naturæ vires poſitæ quædam apparentiæ Judæis hominibus, ſimiliſque farinæ mentibus ad ſapienter, rectèque credendum tam neceſſariæ fuerunt, ut niſi Chriſtus illa operum miracula perpetraſſet, quæ nemo alius ante perpetraverat, peccaturi, ſi Chriſtum audis, nullo modo Judæi fuiſſent; ita pariter Græcis, id eſt ſapientibus, ingenioſiſque hominibus ad prudentem ipſorum fidem, acutæ quædam, ſolideque rationes adeò neceſſariæ ſunt, ut ejuſmodi homines tametſi non credant, nullo tamen ſcelere forſan obſtringendi ſint, niſi manifeſto quodam argu-

msn-

mento è ſublimiore Philoſophia petito innoteſcat ipſis *Chriſtianam fidem nullâ ex parte rationi notæ aduerſari, eidemque inſuper rationi longè conformiorem eſſe, quàm quævis alia cæterarum Religionum dogmata, quorum cum ratione conformitas non modò nunquam potuit oſtendi, ſed ne quidem à repugnantiâ ipſis objectâ ſcitè vindicari.* Profectò quę *motivorum* propoſitio ſufficit ruſtico infirmoque ingenio, ut prudenter credat, ea minimè ſatis eſt ſcienti, altèque rerum fibras ſcrutanti. Humiles nempe infirmęque mentes extrinſecis rebus abripiuntur, quibus ſolidi, ſublimeſque genii vix moveri poſſunt.

Hiſpanus. Ita ſanè eſt. Sed quod ſtupiditas, atque infirmitas in Ruſticis, aliiſque hominibus ſublimiore intelligentiâ deſtitutis; hoc ipſum divina ſæpe potentia vel per ſe, vel per ſuos Angelos extraórdinariè operans in divinioribus hominum mentibus agit. Sicut enim mentis tarditas, vel imbecillitas impedit quominùs multi rationes à Fide retrahentes percipiant, vel ſaltem quominùs rationum externis è locis petitarum debilitatem intelligant; ſic quando Deus peculiari quodam favore quempiam valde ingeniosum ad fidem Chriſti trahere conſtituit; in illo non prorſus quidem, ſed ex parte tamen extinguit lumen naturale, ſuſpendit celeres quoſdam motus, cohibet ſpiritus

intra certos limites, certis idearum conjunctionibus obſtaculum interjicit, Motiva denique a Fide retractura procul arcet, & ne omnino, vel ut ex parte tantum proponantur, facit.

Gallus. Rectè tu quidem hac in re; at iſtiuſmodi obcæcatio, & motivorum alioqui ſe proditurorum compreſſio ex miraculo contingit, proindeque rara eſt, nec magis quam prodigioſa vel aquæ ad baptiſmum, vel vini ad Euchariſtiam ſuppeditatio communi providentiæ conformis exiſtit: tuncque ſolum juſtè, ac licitè ſivè nobis, ſive aliis illam expoſcimus, atque expoſcere tenemur, quando via communis, & ordinaria, ſublimioris nempe diſciplinæ peritia, & peritiæ conſequendæ ſpes, aut poſſibilitas deeſt.

Hiſpanus. Atqui maximæ hominum parti deeſt.

Gallus. Non equidem diffiteor, *ſtultorum* quippe *numerus infinitus eſt*, ſed non propterea deſunt permulti quibus ejuſmodi poteſtas adſit. Non debemus autem viam heroibus propriam negligere, nedum illis occludere, ſed potiùs ſternere, planamque facere. Nam licet verum ſit Fidei Chriſtianæ ſuſceptionem ſimplicibus; iguaris, ac mediocribus geniis faciliorem eſſe, quòd longè procliviùs in illis producatur ea, quæ ad Fidem neceſſaria eſt, apparentia (quia motivum reipsâ leviſſimum, dummodo plauſibile

le sit, solidumque appareat, id genus hominum nihil altè penetrantium convincit) & contrà quæ prudentem mysteriorum persuasionem apparentia facit, ea subtilibus in Viris multiplicem *motivorum* communium infirmitatem statim percipientibus difficillimè gignatur; tamen ingeniis quoque altioribus facilis, atque expedita, imò quantò altiora sunt ingenia, tantò facilior, atque expeditior fidei amplexatio effici potest. Neque enim credibile est supremam sapientiam *per se*, atque *ex naturâ rei* faciliorem esse tardis, atque infirmis, & contra difficiliorem perspicacibus viris: quin potiùs necesse est ut *per accidens* tantùm utrumque contingat, & contrarium *per se* adveniat, Quippe omnimoda divinioris scientiæ ignoratio in causâ est cur Fides Christiana magnarum mentium propria diu non fuerit, quam ignorationem si semel sustuleris, vix ampliùs fieri poterit, ut de Christi veritate Philosophus ullus *prudenter* dubitet. Ignorantia verò; ac simplicitas, quæ *per accidens* tantùm plurimam Fidei facilitatem conciliat; eandem Fidem *per se* impossibilem frequenter reddit. Nam si semel aliquis speciosiore quâdam apparentiâ præoccupatus sit (qualis est innumerorum Infidelium, omnium certè Mahumetanorum, id est maximæ partis hominum animus) ejusmodi præoccupationis curatio; atque adeó christianæ fidei persuasio moraliter impossibilis

bilis eſt. Quapropter qui Philoſophiam ſollicitè fugiendam generaliter aſſerunt, ii non aliter excuſari poſſunt, quàm quomodo Judæi, tortoréſque ſui ab incarnatâ, expirantéque Dei ratione excuſantur: neque alia de causâ ignoſcendum illis eſt, niſi quia *neſciunt* planè *quid faciunt*. Sanè pro uno vel altero commodo quod è ſublimioris ſapientiæ ignorantiâ in ſolidis mentibus prodit, ſexcenta incommoda oriuntur; próque uno, vel altero periculo, quod è ſcientiâ emergit, ſexcenta pericula vitantur.

Quamquam ne ullo quidem ignorantiæ compendio privandi ſumus, etſi Philoſophiâ duce myſteriorum penetrale adeamus. Quid enim prohibet quominùs quemadmodum *ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam*; ita quoque ſapienti ſecundùm ipſius ſapientiam *reſpondeamus*? Quid vetat cum populo populares, cum repentibus repentes, cum mediis medias, cum altis denique, profundiſque mentibus altas, & profundas rationes pertractare? Sic certè cum Paulo fieri poſſumus, ut ait Clemens Alexandrinus, Judæi Judæis, Græci Græcis, Barbari Barbaris, Philoſophi demùm Philoſophis. Sed mirum eſt pro populo, proque Doctorum vulgo nunquam non extitiſſe Scriptores, Concionatores, ac Doctores prope infinitos, vix autem ullos per multa ſecula fuiſſe qui diviniſſimis mentibus fidem chriſtianam diviniſſimè præ-

d.-

dicarint. Quasi veró Deus, qui suprema ratio est, beare tantúm velit homines à ratione alieniores? quasi veró Christus venerit ob solos Pastores stupidos, & rudes, & non etiam ob Magos, & sapientes? Testatur quidem regius vates divinum hunc Redemtorem salvaturum esse hebetes pariter atque intelligentes *jumenta & homines salvabis Domine*, at Tu solus intelligentiâ destitutas animas, solaque proinde jumenta in cælum admittenda esse videris contendere, ethnicos Poëtas illos quodammodo referens qui longè plures in cælo bestias finxerunt quàm homines, & qui prounâ Virgine, Perseo, Hercule, aliisque omninó paucis, innumeras animalium genera stellas inter collocarunt. Sed inter Cancros, Capros, Schorpiones, Asinos, & Pisces, aliquot saltem homines interposuerunt: at Tu non reverâ quidem fortasse; sed in speciem tamen omnem hominibus ad Superos aditum intercludis. Immeritó sanè. Quippe satis est asserere Christum naturæ humanæ imbecillitati adeó indulgentem fuisse, ut quamvis ipse increata sit sapientia, simplicem tamen, rudemque plebeculam, ineptis sæpe, indignisque rationibus persuasam, intimâ, & verâ divinitatis participatione permultis Sapientibus negatâ dignetur: neque necesse est addere Neminem ab illo inter Discipulos agnosci qui non prius *fiat sicut Equus, & Mulus, quibus non est intellectus, & sic com-*

pa-

paretur cum jumentis inſipientibus. Sit ergo Aquila, ſit Bos ſit Leo in divinæ gloriæ curru, ſed in pariter ſit Homo; aut *Intelligentia*, ſub hominis ſpecie, pluſquàm humana.

Itaque in poſterum Judæi quidem Judeis; ſed Græci pariter fiamus Græcis, Philoſophi Philoſophis, & Philoſophi quidem vulgares Philoſophis vulgaribus, mediocres mediocribus, divini divinis, hoc eſt cum plebe ad recondita ſapientiæ arcana inepta populariter agamus, ſubtiliſſimam rationem, quæ propriè ratio dicitur, aſpernemur. Ejuſmodi quippe Philoſophia ſerpentibus, atque infimis mentibus lacte indigentibus non ſecùs ac panis, ſoliduſque cibus infantibus veneni, peſtiſque loco eſt. Quòd ſi videamus, quod plerumque evenit, populares genios, aut mediocriter ſubtiles viros nimia curioſitate concitatos, & altiùs quàm ferat eorum captus, aſpirantes, Philoſophiam quidem minimè interdicamus, ne in vetitum obſtinatius nitantur, ſed iis tamen utiliter ludificemur, verba ſolum demus, & innocentibus præſtigiis à rerum medullâ, introducentium ſpecie, arceamus: atque ita unumquemque ſuo in gradu contineámus.

At cùm extra templum, & populare pulpitum, vel extra communem cætum differimus, cum Theologicos tractatus Magiſtris conſummatis ſcribimus, cum certas quaſdam Perſonas admirabili quâdam intelligentiâ præ-

præditas alloquimur, pellamus procul pueriles crepundias, *Arma acri faciamus viro*, & solidâ simul ac subtili rationis acie omnia penitus arcana penetremus. *Sacramentum enim Regis abscondere bonum est : opera autem Dei* coram sapientibus *revelare & confiteri honorificum est.* Quód si projiciendæ non sunt margaritæ ante porcos, explicandæ certè sunt ante dignos rerum arbitros.

Hispanus. Subtiliores quidem, sed minus solidas ratiocinationes istas hoc uno Jansenii responso jugulo. *Non curæ vel Christo Domino, vel Apostolis, vel Majoribus nostris fuit, divina mysteria ex receptis Philosophorum placitis derivare, vel ad eorum principia reducere; sed nude accepta tradere, & argumenta Perduellium traditæ veritatis probabili aliqua ratione dissolvere.* Quod si, quàm scholastici fingunt, tàm utilis, atque apta Fidei persuadendæ Philosophia est, cur illam primi Ecclesiarum Fundatores nequaquam usurpant? cur Christus ipse minimè adhibet? cur ad eam studiosè colendam neminem invitat? cur eam demum per Spiritum sanctum Discipulis suis non statim infundit? Profectó, si quibus mediis, causisque res unaquæque primum efficitur, iisdem necesse est ut conservetur; cum Christiana Fides non ratione, sed simplicitate, nec Philosophiâ, sed crucis stultitiâ fundata sit; eadem quoque simplicitate, ac stultitia crescat, amplificetur,

&

& perduret, congruum prorſus eſt. Non ergo aliud fidei fundamentum ponamus, quam quod ab Apoſtolis jam poſitum eſt.

Gallus. Neque *Chriſtus*, neque *Apoſtoli*, neque primi *Majores noſtri*, antiquiores nimirum Pontifices, chriſtianique Sacerdotes ullas divitias, ullos redditus, ulla dominia, ullas ditiones obtinuerunt: *neque curæ hoc illis fuit*; propterea ne Abbates, Canonici, Curiones, Antiſtites, Electores Imperii, Pontificeſque Romani villis, oppidis, urbibus, provinciis, comitatu, ducatu, & principatu omni ſpoliandi ſunt? propterea ne Thomæ Cantuarienſes, & Caroli Borromæi, quòd externam quoque Eccleſiæ dignitatem tam acriter, tàmque audacter defenderint, à vobis condemnandi ſunt? Quaſi verò Petri ſucceſſores tiaræ ſuæ gemmas in conchylia, aurea peda in contos, ſerica velamina in aere piſcatorium, palatia in tuguriolum, magnificam demum altarium pompam in viles amictus mutare debeant? Ut prima Eccleſiæ tempora Chriſti morientis eclypſim, atque ignominiam; ita poſteriora Chriſti reſurgentis lucem, & gloriam repræſentant. Quis ergo adeò inſaniat ut Chriſti Vicarios è vaticano ſolio exturbatos Cæſaribus de novo ſubjiciat, in horrentes ſpecus iterum detrudat, ibique cum Callixtis, Urbanis, & Cajis latere jubeat? quis adeò deſipiat ut omnes Epiſcopos, exemplo Pauli, imo & Chriſti

Christi vel fabrilem, vel sartoriam, vel sutoriam, vel pistoriam, vel scenofactoriam artem exercere velit? Atqui multò strictior est rationis quam externi splendoris cum Fide societas, multoque perfectior Philosophiæ, quam magnificentiæ cum Theologia necessitudo; multò naturalius vinculum, ac fœdus divinæ cum humana sapientiæ, quàm cum divitiis, redditibus, pompa, & dominatione caduca; multò demum minus Philosophia quam Pecunia hominibus Christo dicatis periculosa est. Igitur quamvis Ecclesia opibus omnibus, omnique externo fulgore, imperio, apparatuque seculari; non tamen propterea Philosophiæ splendoribus, atque auxilio destituenda esset.

Profectò qui primus Christianos bonis omnibus spoliavit, famosus ille Apostata Julianus eo prætextu, quòd nec primi Christiani, neque Christus ipse quidquam possederit, & nihil a Discipulis suis possideri voluerit; ille idem Julianus humaniores literas, maximè studium Philosophiæ Christianis interdixit; eo prætextu quòd *Christus* (quæ tui quoque Jansenii sensa, & verba sunt) *quemadmodum cum pauperibus, & afflictis pauper fuit, & in laboribus à juventute suâ, ita & secularium scientiarum imperitus videri voluerit*; literas certè non dedicerit, nec Philosophos adierit, imo sapientibus, ac prudentibus doctrinam suam abscondi; solis

ſolis autem parvulis, ſimplicibus, infantibus, aut infantium ſimilibus revelari voluerit. Sanè ſi penitiùs rem ſcruteris, invenies divitias quàm ſcientias cum Fide repugnantiores apparere. Si de his quemadmodum de illis clarè, diſtinctè, & abſque limitatione Servator pronuntiaret, *qui non Platoni, & Philoſophis omnibus renuntiaverit, non poteſt meus eſſe Diſcipulus, & tàm impoſſibile eſt Philoſophum credere, atque intrare in regnum cælorum, quàm impoſſibile eſt camelum per foramen acus intrare*, quæ in Philoſophiam anathemata non jacerentur? Certum tamen eſt Pontifices, Reges, alioſque multos opibus potentes veros Chriſti Diſcipulos eſſe. Imo certum eſt non paucos per divitias cæleſte regnum lucrari, qui ſi pauperie premerentur, vel deſperatione, vel impatientia, vel neceſſitate cogente ad horrenda quæque flagitia, atque ex flagitiis ad inferos præcipites agerentur. Quanto igitur certius eſt multos per Philoſophiam cum D. Juſtino deduci ad fidem, qui ſi nulla rerum intelligentia valerent, vel ad ridiculas ſuperſtitiones, vel ad omnimodam impietatem, omniſque Fidei deriſionem proniſſimi eſſent? Quin etiam in poſterioribus hæreſeon monſtris res quædam mira obſervari poteſt. Quod enim Julianus apoſtata, hoc etiam Hæretici ſequiores moliti ſunt: & qui primi divitias Eccleſiæ damnarunt, ii quoq; primi rationem a Chriſtianis exu-

exulare volunt. Sanè qui pauperes de Lugduno, qui Waldenſes, quive Huſſitę Conſtantinum Sylveſtrum, & Carolum Magnum, complureſve alios é Regibus noſtris ad Tartara detruſerunt, quod contra Chriſti præceptum, atque exemplum Eccleſiam ditarint; ii ipſi ipſi Hæretici Philoſophiam eliminarunt: in Pariſienſes hujus ad Theologiam tranſlatores debacchati ſunt: ſolamque Scripturam Chriſtianis proponendam eſſe definierunt. Qui verò ex adverſo principes Eccleſiam primi opibus amplificarunt, ii quoque primi ſcientiarum ſtudia Chriſtianos inter excitaverunt.

Nec verò propterea exiſtimandum eſt Eccleſiam Eccleſiæ, aut mores moribus adverſari. Scilicet uterque vetus, atque hodiernus Eccleſiæ ſtatus confirmat quod Chriſtus morti proximus vaticinatus eſt, *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: Vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* A Chriſti morte uſque ad Conſtantinum ploravit, & flevit Eccleſia: Infidelitas (quæ Chriſto mundus eſt) triumphavit, & gaviſa eſt. At per Conſtantinum Eccleſiæ triſtitia, luctus, & ſubjectio verſa eſt in gaudium, lucem, ac dominatum. Prior Eccleſiæ ſtatus, ut ſupra dixi, vitæ mortali; poſterior vitæ immortali Salvatoris reſpondet:

prior

prior patientem, poſterior reſurgentem Chriſtum exprimit. In priore Chriſtus mediâ nocte naſcitur, obſcurato ſole moritur : ſola Paſtores flamma nocturna, ſola Reges ſtella deducit ad Chriſtum ; ſolæ demùm *tenebræ per univerſam terram factæ* Centurionem illuminant : ſola quippe *motiva* imperfectiora, ſolæ rationes minùs ſublimes in primo ſtatu illo prædicatæ ſunt. At in alterâ Chriſti reſurgentis imagine perfecta jam autora rutilat, tamque perfectè rutilat ut ipſe ſol juſtitiæ jam ortus eſſe appareat : atque inde dubio procul ſit cur conjungantur hæc duo, *valde manè*, & *orto jam ſole*. Myſteria quippe noſtra tam clara tamque plana ſunt, ſi poſt ſolidioris Philoſophiæ perceptionem, Concilia cum Conciliis, & Patres cum Patribus nunc conferamus, ut ipſa rerum veritas quodammodo videri, ac beata fruitione attingi videatur, quamvis nec videri, nec à Mortalibus vere attingi poſſit.

Quæ quidem quamvis ad convincendum ſatis ſint ; non pauca tamen adhuc validiora ſuperſunt. Ac primùm quidem cùm Chriſtus propter Judæos tam peculiariter, ac fere tam unicè venerit, ut ad Gentes illuminandas invitatus, & de illarum futurâ (ſi ad ipſas iret) converſione certus ; palàm atque apertè reſponderit, *ſe non veniſſe niſi ad oves quæ perierant ex Iſraël*, neque ſi Judæi faciles aures præbuiſſent, Apoſtoli Ethnicos priùs edo-

edocturi forent, quam Judęi Christum omnes susceppissent, eâque de causâ vocatio Gentium ad fidem, ne per sancti quidem spiritus descensum, Apostolis patefacta, sed peculiari postea illustratione Petro, & per Petrum Ecclesię declarata sit; debuit omninò Christus omnia credendi *motiva* Judęorum captui sic aptare, & tam suos, quam suorum Prędonum actus, & mores ita constituere, ut convertendis Judęis quam maxime idonei essent. Atqui ut Gręci sapientiam, sic Judęi signa quęrebant, nec nisi miraculis moveri poterant, ideoque non tantùm inutilis, sed etiam noxia apud illos Philosophia futura erat, quòd passim suspecta, atque Ethnicorum propria apud hebetes illos homines audiret: sicut igitur Christus si propter Gręcos & Sapientes primùm venisset, & nativitatem, & vitam, & studia, & verba, & gesta lucrandis sapientibus accommodata elegisset; ita cùm propter Judęos primùm venerit, contrariam viam inire debuit, & ea tantùm eligere, quę stupidam Gentem illam ex sensibus externis ferire possent. Jam quia Judęorum iniquitas facta est, ut ait Paulus justitia Gentium, & ex obstinatione Filiorum datus est locus adoptioni, & divitiis inimicorum: quia dura, inquam, atque intractabilis Hębręorum cervix Apostolos ad illuminandas Gentes invitavit; suprema Christi sapientia

tia novo, atque inuſitato miraculo ſuos protinus Philoſophos efficere noluit, ac diverſis de cauſis noluit. *Primò*, quia cum non per ſe quodammodó, non per ſe ſaltem primariò, ſed ex occaſione fere ad illuſtrandas Gentes Apoſtoli ſe converterent; non debuit, nova quędam via iniri, ſed inita ſemel proponi; neque ejuſdem tantùm gratię, ſed ejuſdem quoque auxilii, mediique participatio Gentibus promitti. Atque id maxime fieri debuit quamdiu primi Rectores Eccleſię Judęi fuere, quandoquidem illi propter Contribules ubique commorantes ad longinquas nationes ita profecti ſunt, ut præcipuam ipſis operam toto vitæ ſpatio navarint. Negari certè non poteſt primos Eccleſiæ Patres Apoſtolos (quos omnes Hebræos fuiſſe conſtat) quamdiu vixerunt, ægre admodum quidquam admiſiſſe, ex quo minus ſancti, vel etiam profani Judæis viderentur: atque idcircò humanam ſapientiam à ſtolidæ Nationis inſtitutionibus alienam colere ipſos nequaquam debuiſſe. *Deinde* prædicationis Evangelicæ negotium nimis urgebat quàm ut ipſi diuturnam literis operam darent, cùm tamen ut poſtea dicam, ſolo labore intelligentia vera comparetur. *Tertiò*, Populus Ethnicus, qui præ ſapientibus numeroſiſſimus erat, ut Judæis hominibus indolis abje-

jectione conjunctiſſimus, ita prodigiis potiùs quàm rationibus inſtruendus erat. Accedit, quod animadverſione dignum eſt, Chriſtum Salvatorem, quemadmodum non propter gentes ſed propter Judæos; ita quoq; mutatâ comparatione non propter Procetes ac Philoſophos, ſed propter Populos ethnicos primariò adveniſſe. Quamobrem Apoſtoli ſicut Judæis primam; ita Populis gentilibus ſecundam navare operam juſſi ſunt: nec niſi congregatâ Populorum multitudine, Philoſophis, ac Regibus fidem ſuadere, neque proinde Philoſophiam profiteri debuerunt. Quin & hoc quoq; mirabile eſt, quam de gentibus Judęi Chriſtiani, eam de Philoſophis, ac Cęſaribus ſententiam priores Chriſtiani Gentiles conceperunt. Ut enim Fideles é circumciſione ſubmurmurarunt, & ſcandalum paſſi ſunt ob Cornelium à Petro baptizatum, neque ipſe Petrus ante ſingularem divini Numinis revelationem de gentium vocatione certus unquam fuit; ita primi é gentibus exorti Patres arbitrati ſunt tam Cæſares, qui tunc Chriſti hoſtes erant, *futuros eſſe Chriſtianos, ſi Chriſtiani poſſent eſſe Cæſares*, quam noſtra pariter myſteria Philoſophis probanda eſſe, ſi ſapientibus & prudentibus revelari poſſent: adeò ut quemadmodum neque Joſiæ, neque Davidis, ſic neque Juſtini, neque ipſius Dionyſii magni exemplum impedierit, quominùs multi exiſtimarint, ut regiæ di-

gnitatis ſplendorem; ita philoſophicæ doctrinæ ſubtilitatem cum Fide repugnare, cum ea certè cónjungi non poſſe. Verùm ſicut Eccleſia è Gentibus tandem conflata eſt; ita & ipſi Cęſares Eccleſiæ non tantúm filii, ſed amplificatores quoque facti ſunt; & ſimiliter haud dubiè fiet ut Philoſophi non ſolùm fiant Chriſtiani, ſed ipſius etiam Chriſtianę fidei fecundiſſimum lumen, ac potentiſſimum columen evadant. Sanè ſi ſuum ad præſepe nec Reges, nec Philoſophos ſed Paſtores tantùm Judæos ideo Chriſtus vocavit, quod probè noſſet paucos admodum Proceres Hebręos, Phariſæoſque ſibi adhæſuros eſſe; non immeritó Sálvator idem ſuum ad præſepe non paſtores, neque ignaros, ſed Reges ac Philoſophos Ethnicos ſtellâ duce invitavit, quod exploratum haberet futurum eſſe ut per ſolos Reges ac Philoſophos Gentiles Eccleſia ſua omnibus latè Gentibus tandem aliquando dominetur.

Quartò. Quis neſcit Platonicos, ne ad Chriſti fidem amplectendam propriis armis cogerentur, tam falsó quam ſuperbè jactaſſe Chriſtum ex Platonis Philoſophia ſuam omnem doctrinam hauſiſſe; idque illos adhuc longè audaciùs (quia multó veriſimiliùs) aſſerturos eſſe, ſi vel omnes, vel plurimi Salvatoris Diſcipuli Philoſophiam coluiſſent: Ergo neceſſarium omninó fuit Apoſtolos à Philoſophiæ ſtudio quàm remotiſſimos

mos esse. Sic enim incredibile certitudinis pondus habitâ nostri ratione ad fidem Christi accedit. Vix certè ullus de ipsa dubitandi locus relinquitur, quando quis ex una quidem parte videt neque Christum ullam Philosophiæ operam dedisse, neque ipsius Discipulos vel leviſſimè illa imbutos esse, sed ab ea potiùs per dena ferè secula sic abhorrere visos esse, ut præjudicio prope unanimi palam jactari siverint *cum Philosophia fidem haud convenire*; & tamen is idem altera ex parte contemplatur omnia Christianæ fidei mysteria etiam quatenus à Conciliis, & á Patribus Philosophiæ maximam partem rudibus exposita sunt, quò penitiùs discutiuntur, ac veluti eviscerantur, eó certiora, clariora, manifestiora, & sapientiæ generaliſsimæ conformiora apparere Nimirum tam mirabilis concentus casu fieri non potuit. Quapropter cùm ex humanâ sapientia minimè processerit, ex alterâ quâdam ut profectum sit necesse est confiteri. *A Deo* igitur *factum est istud.* nec tantùm *Dei digitus*, sed tota excelsi dextera. nec tantùm dextera, sed totum infinitæ cujusdam mentis consilium *hîc est.* Ergo qui Philosophiæ neglectus initio perutilis, & propemodum necessarius fuit; hodie non parùm (habitâ ratione hominum ingenio præstantium) pernicioſus esset. Ut enim bellum est propter pacem, quæ belli fructus esse debet; ita prima Phi-

loſophiæ fuga eſt propter ſcientiam, & certitudinem ex hac fuga concludendam. Deinde ſi primi Chriſtianorum Patres ſub Conſtantino, imò ſub aliis quoque Imperatoribus multò junioribus Idolorum templa quamvis ſuperbiſsima ſuſque deque evertenda eſſe judicarunt; ſique vix uſquam aſſenſi ſunt Populis & Regibus, ut in Chriſti aras converterentur emagitantibus; quid eſt cur miremur Philoſophiam Ethnicorum myſteriis conſpurcatam à ſanctis Patribus vulgò quoque rejectam eſſe, quandoquidem utriuſque una fere atque eadem ratio exiſtit. Cur enim, quæſo, Serapidis Baſilica, cur famoſa alia multa delubra Servatoris cultui conſecrata non ſunt: haud dubiè quia priſtinæ impietatis memoria recentior adhuc erat, neque communis hominum imaginatio à primis ſacrificiis Dæmoni oblatis tam facile averti poterat, neque demum Chriſti fides tam diſtinctè adhuc expoſita, aut apud plebem ſic à ſuperſtitione diſcreta erat, ut non magnum quoddam periculum inſtaret, ne cum impietate confunderetur, vel certè quodammodò in mente hominum pollueretur. Atqui ſimiliter Philoſophia cùm ab Ethnicis profanata & ad ſceleratos ritus approbandos quantumvis reluctans tranſlata eſſet, non debuit ſtatim a Chriſtianis admitti, multò minùs cum ſanctioribus Chriſti myſteriis intimo fœdere copulari, ſed debuit potiùs proteri,

teri & templorum inſtar diſturbari. At quemadmodum poſtea non diruta, ſed in pios uſus mutata, Chriſtoque dicata ſunt idolorum templa, ſic quoque ac multo æquiùs humana ſapientia divinæ tandem conſecranda eſt. Quin hoc etiam juvat obſervare; quemadmodum frequens & ſolemnis ſacrarum imaginum uſus, qui nunc vulgò perquam utilis ac fere neceſſarius eſt, imperitæ Judæorum & Chriſtianorum multitudini media inter idola nondum deſtructa poſitę valde nociturus erat; ita quæ nunc Philoſophia præſtantibus ingeniis non leve compendium affert, ac fere neceſſaria eſt non leve derrimentum olim, dum contra Philoſophos adhuc pugnandum erat, fortaſſe cauſaturam fuiſſe. Adeò ut quiſpiam non temere dixerit *Imaginum & Philoſophiæ Hoſtium eundem pene errorem cognatam certè planeque geminam hæreſim eſſe.*

Deniq; ſæviſſimę Imperatorum perſecutiones quibus naſcentis Eccleſię cunę diu jactatæ ſunt, primos ejuſdem Patres à ſtudiorum exercitatione avocarunt: & quæ poſt ſedatas tempeſtates illas Barbarorum incurſiones ſupervenerunt, eę omnem Philoſophię cultui locum intercluſerunt. Quòd ſi David Eccleſiæ partâ jam pace regnantis typum gerit; quis neſcit factum eſſe Domini ſermonem ad David, *multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti: non poteris ædificare Domum nomini meo tanto effuſo ſanguine coram*

paretur cum jumentis inſipientibus. Sit ergo Aquila, ſit Bos ſit Leo in divinæ gloriæ curru, ſed in pariter ſit Homo; aut *Intelligentia*, ſub hominis ſpecie, pluſquàm humana.

Itaque in poſterum Judæi quidem Judeis; ſed Græci pariter fiamus Græcis, Philoſophi Philoſophis, & Philoſophi quidem vulgares Philoſophis vulgaribus, mediocres mediocribus, divini divinis, hoc eſt cum plebe ad recondita ſapientiæ arcana inepta populariter agamus, ſubtiliſſimam rationem, quæ propriè ratio dicitur, aſpernemur. Ejuſmodi quippe Philoſophia ſerpentibus, atque infimis mentibus lacte indigentibus non ſecùs ac panis, ſoliduſque cibus infantibus veneni, peſtiſque loco eſt. Quòd ſi videamus, quod plerumque evenit, populares genios, aut mediocriter ſubtiles viros nimia curioſitate concitatos, & altiùs quàm ferat eorum captus, aſpirantes, Philoſophiam quidem minimè interdicamus, ne in vetitum obſtinatius nitantur, ſed iis tamen utiliter ludificemur, verba ſolum demus, & innocentibus præſtigiis à rerum medullâ, introducentium ſpecie, arceamus: atque ita unumquemque ſuo in gradu contineámus.

At cùm extra templum, & populare pulpitum, vel extra communem cætum differimus, cum Theologicos tractatus Magiſtris conſummatis ſcribimus, cum certas quaſdam Perſonas admirabili quâdam intelligentiâ præ-

præditas alloquimur, pellamus procul pueriles crepundias, *Arma acri faciamus viro*, & solidâ simul ac subtili rationis acie omnia penitus arcana penetremus. *Sacramentum enim Regis abscondere bonum est : opera autem Dei* coram sapientibus *revelare & confiteri honorificum est.* Quód si projiciendæ non sunt margaritæ ante porcos, explicandæ certè sunt ante dignos rerum arbitros.

Hispanus. Subtiliores quidem, sed minus solidas ratiocinationes istas hoc uno Jansenii responso jugulo. *Non curæ vel Christo Domino, vel Apostolis, vel Majoribus nostris fuit, divina mysteria ex receptis Philosophorum placitis derivare, vel ad eorum principia reducere; sed nude accepta tradere, & argumenta Perduellium traditæ veritatis probabili aliqua ratione dissolvere.* Quod si, quàm scholastici fingunt, tàm utilis, atque apta Fidei persuadendæ Philosophia est, cur illam primi Ecclesiarum Fundatores nequaquam usurpant? cur Christus ipse minimè adhibet? cur ad eam studiosè colendam neminem invitat? cur eam demum per Spiritum sanctum Discipulis suis non statim infundit? Profectó, si quibus mediis, causisque res unaquæque primum efficitur, iisdem necesse est ut conservetur; cum Christiana Fides non ratione, sed simplicitate, nec Philosoph â, sed crucis stultitiâ fundata sit; eadem quoque simplicitate, ac stultitia crescat, amplificetur,

&

& perduret, congruum prorſus eſt. Non ergo aliud fidei fundamentum ponamus, quam quod ab Apoſtolis jam poſitum eſt.

Gallus. Neque *Chriſtus*, neque *Apoſtoli*, neque primi *Majores noſtri*, antiquiores nimirum Pontifices, chriſtianique Sacerdotes ullas divitias, ullos redditus, ulla dominia, ullas ditiones obtinuerunt : *neque curæ hoc illis fuit*; propterea ne Abbates, Canonici, Curiones, Antiſtites, Electores Imperii, Pontificeſque Romani villis, oppidis, urbibus, provinciis, comitatu, ducatu, & principatu omni ſpoliandi ſunt? propterea ne Thomæ Cantuarienſes, & Caroli Borromæi, quòd externam quoque Eccleſiæ dignitatem tam acriter, tamque audacter defenderint, à vobis condemnandi ſunt? Quaſi verò Petri ſucceſſores tiaræ ſuæ gemmas in conchylia, aurea peda in contos, ſerica velamina in aeres piſcatorium, palatia in tuguriolum, magnificam demum altarium pompam in viles amictus mutare debeant? Ut prima Eccleſiæ tempora Chriſti morientis eclypſim, atque ignominiam; ita poſteriora Chriſti reſurgentis lucem, & gloriam repræſentant. Quis ergo adeò inſaniat ut Chriſti Vicarios è vaticano ſolio exturbatos Cæſaribus de novo ſubjiciat, in horrentes ſpecus iterum detrudat, ibique cum Callixtis, Urbanis, & Cajis latere jubeat? quis adeò deſipiat ut omnes Epiſcopos, exemplo Pauli, imo & Chriſti

Christi vel fabrilem, vel sartoriam, vel sutoriam, vel pistoriam, vel scenofactoriam artem exercere velit? Atqui multò strictior est rationis quam externi splendoris cum Fide societas, multoque perfectior Philosophiæ, quam magnificentiæ cum Theologia necessitudo; multò naturalius vinculum, ac fœdus divinæ cum humana sapientiæ, quàm cum divitiis, redditibus, pompa, & dominatione caduca; multò demum minus Philosophia quam Pecunia hominibus Christo dicatis periculosa est. Igitur quamvis Ecclesia opibus omnibus, omnique externo fulgore, imperio, apparatuque seculari; non tamen propterea Philosophiæ splendoribus, atque auxilio destituenda esset.

Profectò qui primus Christianos bonis omnibus spoliavit, famosus ille Apostata Julianus eo prætextu, quòd nec primi Christiani, neque Christus ipse quidquam possederit, & nihil a Discipulis suis possideri voluerit; ille idem Julianus humaniores literas, maximè studium Philosophiæ Christianis interdixit; eo prætextu quòd *Christus* (quæ tui quoque Jansenii sensa, & verba sunt) *quemadmodum cum pauperibus, & afflictis pauper fuit, & in laboribus à juventute suâ, ita & secularium scientiarum imperitus videri voluerit*; literas certè non dedicerit, nec Philosophos adierit, imo sapientibus, ac prudentibus doctrinam suam abscondi; solis

ſolis autem parvulis, ſimplicibus, infantibus, aut infantium ſimilibus revelari voluerit. Sanè ſi penitiùs rem ſcruteris, invenies divitias quàm ſcientias cum Fide repugnantiores apparere. Si de his quemadmodum de illis clarè, diſtinctè, & abſque limitatione Servator pronuntiaret, *qui non Platoni, & Philoſophis omnibus renuntiaverit, non poteſt meus eſſe Diſcipulus, & tàm impoſſibile eſt Philoſophum credere, atque intrare in regnum cælorum, quàm impoſſibile eſt camelum per foramen acus introire*, quæ in Philoſophiam anathemata non jacerentur? Certum tamen eſt Pontifices, Reges, alioſque multos opibus potentes veros Chriſti Diſcipulos eſſe. Imo certum eſt non paucos per divitias cæleſte regnum lucrari, qui ſi pauperie premerentur, vel deſperatione, vel impatientia, vel neceſſitate cogente ad horrenda quæque flagitia, atque ex flagitiis ad inferos præcipites agerentur. Quanto igitur certius eſt multos per Philoſophiam cum D. Juſtino deduci ad fidem, qui ſi nulla rerum intelligentiâ valerent, vel ad ridiculas ſuperſtitiones, vel ad omnimodam impietatem, omniſque Fidei deriſionem proniſſimi eſſent? Quin etiam in poſterioribus hæreſeon monſtris res quædam mira obſervari poteſt. Quod enim Julianus apoſtata, hoc etiam Hæretici ſequiores moliti ſunt: & qui primi divitias Eccleſiæ damnarunt, ii quoq; primi rationem a Chriſtianis exu-

exulare volunt. Sanè qui pauperes de Lugduno, qui Waldenſes, quive Huſſitę Conſtantinum Sylveſtrum, & Carolum Magnum, complureſve alios é Regibus noſtris ad Tartara detruſerunt, quod contra Chriſti præceptum, atque exemplum Eccleſiam ditarint; ii ipſi ipſi Hæretici Philoſophiam eliminarunt: in Pariſienſes hujus ad Theologiam tranſlatores debacchati ſunt: ſolamque Scripturam Chriſtianis proponendam eſſe definierunt. Qui verò ex adverſo principes Eccleſiam primi opibus amplificarunt, ii quoque primi ſcientiarum ſtudia Chriſtianos inter excitaverunt.

Nec verò propterea exiſtimandum eſt Eccleſiam Eccleſiæ, aut mores moribus adverſari. Scilicet uterque vetus, atque hodiernus Eccleſiæ ſtatus confirmat quod Chriſtus morti proximus vaticinatus eſt, *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: Vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* A Chriſti morte, uſque ad Conſtantinum ploravit, & flevit Eccleſia: Infidelitas (quæ Chriſto mundus eſt) triumphavit, & gaviſa eſt. At per Conſtantinum Eccleſiæ triſtitia, luctus, & ſubjectio verſa eſt in gaudium, lucem, ac dominatum. Prior Eccleſiæ ſtatus, ut ſupra dixi, vitæ mortali; poſterior vitæ immortali Salvatoris reſpondet:

prior

prior patientem, poſterior reſurgentem Chriſtum exprimit. In priore Chriſtus mediâ nocte naſcitur, obſcurato ſole moritur : ſola Paſtores flamma nocturna, ſola Reges ſtella deducit ad Chriſtum ; ſolæ demùm *tenebræ per univerſam terram factæ* Centurionem illuminant : ſola quippe *motiva* imperfectiora, ſolæ rationes minùs ſublimes in primo ſtatu illo prædicatæ ſunt. At in alterâ Chriſti reſurgentis imagine perfecta jam autora rutilat, tamque perfectè rutilat ut ipſe ſol juſtitiæ jam ortus eſſe appareat : atque inde dubio procul ſit cur conjungantur hæc duo, *valde manè*, & *orto jam ſole*. Myſteria quippe noſtra tam clara tamque plana ſunt, ſi poſt ſolidioris Philoſophiæ perceptionem, Concilia cum Conciliis, & Patres cum Patribus nunc conferamus, ut ipſa rerum veritas quodammodo videri, ac beata fruitione attingi videatur, quamvis nec videri, nec à Mortalibus vere attingi poſſit.

Quæ quidem quamvis ad convincendum ſatis ſint ; non pauca tamen adhuc validiora ſuperſunt. Ac primùm quidem cùm Chriſtus propter Judæos tam peculiariter, ac fere tam unicè venerit, ut ad Gentes illuminandas invitatus, & de illarum futurâ (ſi ad ipſas iret) converſione certus ; palàm atque apertè reſponderit, *ſe non veniſſe niſi ad oves quæ perierant ex Iſraël*, neque ſi Judæi faciles aures præbuiſſent, Apoſtoli Ethnicos priùs edo-

edocturi forent, quam Judęi Christum omnes suscepissent, eâque de causâ vocatio Gentium ad fidem, ne per sancti quidem spiritus descensum, Apostolis patefacta, sed peculiari postea illustratione Petro, & per Petrum Ecclesię declarata sit; debuit omnino Christus omnia credendi *motiva* Judęorum captui sic aptare, & tam suos, quam suorum Prędonum actus, & mores ita constituere, ut convertendis Judęis quam maxime idonei essent. Atqui ut Gręci sapientiam, sic Judęi signa quærebant, nec nisi miraculis moveri poterant, ideoque non tantùm inutilis, sed etiam noxia apud illos Philosophia futura erat, quòd passim suspecta, atque Ethnicorum propria apud hebetes illos homines audiret: sicut igitur Christus si propter Gręcos & Sapientes primùm venisset, & nativitatem, & vitam, & studia, & verba, & gesta lucrandis sapientibus accommodata elegisset; ita cùm propter Judęos primùm venerit, contrariam viam inire debuit, & ea tantùm eligere, quę stupidam Gentem illam ex sensibus externis ferire possent. Jam quia Judęorum iniquitas facta est, ut ait Paulus justitia Gentium, & ex obstinatione Filiorum datus est locus adoptioni, & divitiis inimicorum: quia dura, inquam, atque intractabilis Hębręorum cervix Apostolos ad illuminandas Gentes invitavit; suprema Christi sapien-

tia

tia novo, atque inuſitato miraculo ſuos protinus Philoſophos efficere noluit, ac diverſis de cauſis noluit. *Primò*, quia cum non per ſe quodammodò, non per ſe ſaltem primariò, ſed ex occaſione fere ad illuſtrandas Gentes Apoſtoli ſe converterent; non debuit, nova quędam via iniri, ſed inita ſemel proponi; neque ejuſdem tantùm gratię, ſed ejuſdem quoque auxilii, mediique participatio Gentibus promitti. Atque id maxime fieri debuit quamdiu primi Rectores Eccleſię Judęi fuere, quandoquidem illi propter Contribules ubique commorantes ad longinquas nationes ita profecti ſunt, ut præcipuam ipſis operam toto vitæ ſpatio navarint. Negari certè non poteſt primos Eccleſiæ Patres Apoſtolos (quos omnes Hebræos fuiſſe conſtat) quamdiu vixerunt, ægre admodum quidquam admiſiſſe, ex quo minus ſancti, vel etiam profani Judæis viderentur: atque idcircò humanam ſapientiam à ſtolidæ Nationis inſtitutionibus alienam colere ipſos nequaquam debuiſſe. *Deinde* prædicationis Evangelicæ negotium nimis urgebat quàm ut ipſi diutur:nam literis operam darent, cùm tamen ut poſtea dicam, ſolo labore intelligentia vera comparetur. *Tertiò*, Populus Ethnicus, qui præ ſapientibus numeroſiſſimus erat, ut Judæis hominibus indolis abje-

jectione conjunctiſſimus, ita prodigiis potiùs quàm rationibus inſtruendus erat. Accedit, quod animadverſione dignum eſt, Chriſtum Salvatorem, quemadmodum non propter gentes ſed propter Judæos; ita quoq; mutatâ comparatione non propter Procetes ac Philoſophos, ſed propter Populos ethnicos primariò adveniſſe. Quamobrem Apoſtoli ſicut Judæis primam; ita Populis gentilibus ſecundam navare operam juſſi ſunt: nec niſi congregatâ Populorum multitudine, Philoſophis, ac Regibus fidem ſuadere, neque proinde Philoſophiam profiteri debuerunt. Quin & hoc quoq; mirabile eſt, quam de gentibus Judæi Chriſtiani, eam de Philoſophis, ac Cęſaribus ſententiam priores Chriſtiani Gentiles conceperunt. Ut enim Fideles é circumciſione ſubmurmurarunt, & ſcandalum paſſi ſunt ob Cornelium à Petro baptizatum, neque ipſe Petrus ante ſingularem divini Numinis revelationem de gentium vocatione certus unquam fuit; ita primi é gentibus exorti Patres arbitrati ſunt tam Cæſares, qui tunc Chriſti hoſtes erant, *futuros eſſe Chriſtianos, ſi Chriſtiani poſſent eſſe Cæſares*, quam noſtra pariter myſteria Philoſophis probanda eſſe, ſi ſapientibus & prudentibus revelari poſſent: adeò ut quemadmodum neque Joſiæ, neque Davidis, ſic neque Juſtini, neque ipſius Dionyſii magni exemplum impedierit, quominùs multi exiſtimarint, ut regiæ di-

gnitatis ſplendorem; ita philoſophicæ doctrinæ ſubtilitatem cum Fide repugnare, cum ea certè cónjungi non poſſe. Verùm ſicut Eccleſia è Gentibus tandem conflata eſt; ita & ipſi Cęſares Eccleſiæ non tantúm filii, ſed amplificatores quoque facti ſunt; & ſimiliter haud dubiè fiet ut Philoſophi non ſolùm fiant Chriſtiani, ſed ipſius etiam Chriſtianę fidei fecundiſſimum lumen, ac potentiſſimum columen evadant. Sanè ſi ſuum ad præſepe nec Reges, nec Philoſophos ſed Paſtores tantùm Judæos ideo Chriſtus vocavit, quod probè noſſet paucos admodum Proceres Hebręos, Phariſæoſque ſibi adhæſuros eſſe; non immeritó Sàlvator idem ſuum ad præſepe non paſtores, neque ignaros, ſed Reges ac Philoſophos Ethnicos ſtellâ duce invitavit, quod exploratum haberet futurum eſſe ut per ſolos Reges ac Philoſophos Gentiles Eccleſia ſua omnibus latè Gentibus tandem aliquando dominetur.

Quartò. Quis neſcit Platonicos, ne ad Chriſti fidem amplectendam propriis armis cogerentur, tam falsó quam ſuperbè jactaſſe Chriſtum ex Platonis Philoſophia ſuam omnem doctrinam hauſiſſe; idque illos adhuc longè audaciùs (quia multó veriſimiliùs) aſſerturos eſſe, ſi vel omnes, vel plurimi Salvatoris Diſcipuli Philoſophiam coluiſſent: Ergo neceſſarium omninó fuit Apoſtolos à Philoſophiæ ſtudio quàm remotiſſimos

mos esse. Sic enim incredibile certitudinis pondus habitâ nostri ratione ad fidem Christi accedit. Vix certè ullus de ipsa dubitandi locus relinquitur, quando quis ex una quidem parte videt neque Christum ullam Philosophiæ operam dedisse, neque ipsius Discipulos vel leviſſimè illa imbutos esse, sed ab ea potiùs per dena ferè secula sic abhorrere visos esse, ut præjudicio prope unanimi palam jactari siverint *cum Philosophia fidem haud convenire*; & tamen is idem altera ex parte contemplatur omnia Christianæ fidei mysteria etiam quatenus à Conciliis, & á Patribus Philosophiæ maximam partem rudibus exposita sunt, quò penitiùs discutiuntur, ac veluti eviscerantur, eó certiora, clariora, manifestiora, & sapientiæ generaliſsimæ conformiora apparere Nimirum tam mirabilis concentus casu fieri non potuit. Quapropter cùm ex humanâ sapientia minimè processerit, ex alterâ quâdam ut profectum sit necesse est confiteri. *A Deo* igitur *factum est istud.* nec tantùm *Dei digitus*, sed tota excelsi dextera. nec tantùm dextera, sed totum infinitæ cujusdam mentis consilium *hîc est.* Ergo qui Philosophiæ neglectus initio perutilis, & propemodum necessarius fuit; hodie non parùm (habitâ ratione hominum ingenio præstantium) pernicioſsus esset. Ut enim bellum est propter pacem, quæ belli fructus esse debet; ita prima Phi-

loſophiæ fuga eſt propter ſcientiam, & certitudinem ex hac fuga concludendam. Deinde ſi primi Chriſtianorum Patres ſub Conſtantino, imò ſub aliis quoque Imperatoribus multò junioribus *Idolorum* templa quamvis ſuperbiſsima ſuſque deque evertenda eſſe judicarunt; ſique vix uſquam aſſenſi ſunt Populis & Regibus, ut in Chriſti aras converterentur efflagitantibus; quid eſt cur miremur Philoſophiam Ethnicorum myſteriis conſpurcatam à ſanctis Patribus vulgò quoque rejectam eſſe, quandoquidem utriuſque una fere atque eadem ratio exiſtit. Cur enim, quæſo, Serapidis Baſilica, cur famoſa alia multa delubra Servatoris cultui conſecrata non ſunt: haud dubiè quia priſtinæ impietatis memoria recentior adhuc erat, neque communis hominum imaginatio à primis ſacrificiis Dæmoni oblatis tam facile averti poterat, neque demum Chriſti fides tam diſtinctè adhuc expoſita, aut apud plebem ſic à ſuperſtitione diſcreta erat, ut non magnum quoddam periculum inſtaret, ne cum impietate confunderetur, vel certè quodammodò in mente hominum pollueretur. Atqui ſimiliter Philoſophia cùm ab Ethnicis profanata & ad ſceleratos ritus approbandos quantumvis reluctans tranſlata eſſet, non debuit ſtatim a Chriſtianis admitti, multò minùs cum ſanctioribus Chriſti myſteriis intimo fœdere copulari, ſed debuit potiùs proteri;

teri & templorum inſtar diſturbari. At quemadmodum poſtea non diruta, ſed in pios uſus mutata, Chriſtoque dicata ſunt idolorum templa, ſic quoque ac multo æquiùs humana ſapientia divinæ tandem conſecranda eſt. Quin hoc etiam juvat obſervare; quemadmodum frequens & ſolemnis ſacrarum imaginum uſus, qui nunc vulgó perquam utilis ac fere neceſſarius eſt, imperitæ Judæorum & Chriſtianorum multitudini media inter idola nondum deſtructa poſitę valde nociturus erat; ita quæ nunc Philoſophia præſtantibus ingeniis non leve compendium affert, ac fere neceſſaria eſt non leve detrimentum olim, dum contra Philoſophos adhuc pugnandum erat, fortaſſe cauſaturam fuiſſe. Adeó ut quiſpiam non temere dixerit *Imaginum & Philoſophiæ Hoſtium eundem pene errorem cognatam certè planeque geminam hæreſim eſſe.*

Deniq; ſæviſſimę Imperatorum perſecutiones quibus naſcentis Eccleſię cunę diu jactatæ ſunt, primos ejuſdem Patres à ſtudiorum exercitatione avocarunt: & quæ poſt ſedatas tempeſtates illas Barbarorum incurſiones ſupervenerunt, eę omnem Philoſophię cultui locum intercluſerunt. Quòd ſi David Eccleſiæ partâ jam pace regnantis typum gerit; quis neſcit factum eſſe Domini ſermonem ad David, *multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti: non poteris ædificare Domum nomini meo tanto effuſo ſanguine co-*

ram me, ſed quis pariter neſcit uno pacifico Salomoni conceſſum eſſe ut externo ſimul atque interno ſplendore, id eſt magnifico templi ornatu, & clara myſteriorum ſcientia Iudaicam Religionem exaltaret? quid ergo mirum eſt gemina hæc decora Eccleſiæ pugnanti negata,& quiete, paceque fruenti reſervata eſſe? jam poſtquam horrendæ Tyrannorum carnificinæ deſierunt, & ſecuritas omnimoda parta eſt, à priore non ab altero decora ordiendum fuit: de ſacrorum ritibus,cæremoniis, apparatu, magnificentiâ, ſerie,atque ordine, de miniſtrorum gradibus, & honeſtate, de diſciplinæ vigore,de legibus, de regimine, de Eccleſiarum inter ſe conjunctione,de quarumdam præeminentia & aliarum ſubjectione, de ſervanda demum uniformitate, vitandoque ſchiſmate primùm omnium tractandum fuit. Domeſtica nempe priùs componenda;externa deinde bella ſuſcipienda ſunt: intuſque primùm, poſtea foris quies, ac beatitas procuranda eſt. Atque hoc quidem priore munere tranquilla Chriſti ſponſa tam feliciter perfuncta erat, ut ad alterum facilè tranſitura eſſet, cùm repentina Barbarorum eluvies à ſeptemtrione in totum orbem noſtrum velut immenſus quidam nimbus irruens atra & diuturna nocte omnem ſcientiarum fulgorem ita ſepelivit, ut non niſi poſt multa ſecula ex illis denſis

ſis tenebris emergere tandem gradatim potuerit. At cùm jam tum pacata omnia, tum illuſtrata ſint multa, quid prohibet quo minùs ex Apoſtoli præſcripto, illius quæ in nobis eſt, ſpei rationem reddamus? Minimè certè dubium eſt quin ſi ad excuſandam inſcitiam noſtram multorum Prędeceſſorum ignorantiam prætexamus, acriter nos cœleſtis Magiſter his planè verbis excepturus ſit *adhuc & vos ſine intellectu eſtis?*

Sed arcanior adhuc cauſa eſt cur intimam rerum intelligentiam divinus Spiritus Apoſtolis continuò ac ſine labore non communicarit. Ea autem eſt, quod queadmodum nulli creaturę jam adultæ præterquam Chriſto Salvatori data eſt ſuprema felicitas æterna, neque ulli danda, ſed acquirenda, emendaque proponitur; ita ſuprema felicitas temporalis nemini prorſus infunditur, ſed ex principiis infuſis acquirenda relinquitur. Atqui ut ſuprema felicitas Comprehentorum ſita eſt in claro divinitatis intuitu, ſic ſuprema felicitas Viatorum pendet ex intelligentia quæ per traditam myſteriorum fidem facile comparari poteſt. Nec verò alia de cauſa unus omnino Salomon culmen ſapientiæ non tam quæſivit quam invenit, niſi quod Chriſti ſapientiam non labore partam, ſed ſingulariter innatam unus omnium maximè repræſentavit. Quem nihilominus (tametſi hac in re Chriſti figura fuerit)

rit)minime certum eſt aliam quàm politicam moralemque ſcientiam regendis populis opportunam divinitus accepiſſe. Quæ verò circa corporum naturam,& proprietates aſſecutus eſſe narratur,ingenii magnitudine, cultu, ſtudio,&lectione ſibi comparare potuit. Tenendum igitur eſt revelata quidem fuiſſe Apoſtolis primaria fidei principia, dogmataque fundamentalia ex quibus cæteræ veritates rationis ope colligi poſſint; at non traditam eſſe ipſam concluſionum omnium notionem, ſed tantum notionis radicem. Nam ſi liquidum eſt vocationem Gentium,& ceſſationem Judaicorum rituum ab illis diu ignoratam eſſe, quamvis ſexcentis,atque apertiſſimis ſcripturarum locis declarata, & per ſe ſatis humanæ rationi pervia eſſet; quid dè abſtruſioribus, multoque minus neceſſariis, & minus urgentibus veritatibus credendum eſt?

Propone igitur Tibi Eccleſiæ fidem conceptam in prędicatione Chriſti; conformatam, & animatam in deſcenſu Spiritus ſancti, naſcentem in Concilio Nycæno, creſcentem in Epheſino, adoleſcentem in Chalcedonenſi, juvenem in ſequentibus,perfectam demùm in noſtri temporis Canonibus ſupremis. Propone, inquam, Tibi Apoſtolorum fidem non ſecus ac cœleſtem quendam Embryonem, vel divini cujuſdam fructus ſemen. In Embryone cuncta hominis membra reperies, ſed

in

involuta, latentia, complicata : in ſemine pyri, pomive tota cum radicibus, trunco, ramis, ac frondibus arbor latet, ſed obſcura, contracta, implexa : ita prorſus *omnem veritatem Spiritus ſanctus Apoſtolos docuit*, quia divina quædam ſemina delineamentave ex quibus omnis veritas Chriſtiana conſtat, mentibus illorum inſevit, atque inſculpſit, ſic tamen ut non tot formę, atque imaginis partes ſe proderent, quot ſe abſconderent. Aut ſi mavis (quod menti meę feliciter occurrit, & rem de qua modo agitur, mirùm quantum aptè exponit) objice tibi Eccleſiæ fidem non ſecus ac *lucernam in caliginoſo loco lucentem*, vel potius ſicut ipſum *ſolare lumen*, id eſt tenuiſſimos ſolis radios in cubiculum quoddam obſcurum per rimam penetrantes. Res planè mira, atque incredibilis, & quæ facili tamen experimento ſub ſenſum cadit! Ingredere cubiculum tuum, feneſtras, januas, aditumque omnem luci exclude, remaneat unum excipiendo lumini foramen apertum : expone chartam foramini adverſam, ab eoque non parum remotam. Hac in charta pervidebis arbores, prata, homines, quæcumque demum foris ambulant, agitantur, aut ſtant. At eandem chartam foramini admodum vicinam oppone : nihil in ipſa prorſus aſpicies præter meram lucem altera quidem luce clariorem, utpote lucis principio nimirum ſoli vi-

ciniorem; sed in ea luce nullam aut arborum, aut pratorum, aut hominum figuram advertes. Cur ita est, inquies, an non species ampliùs ad chartam appellunt? imò longè copiosiores appellunt, quia tunc charta cùm magis vel æque saltem objectis adversa, tum multò quàm ante vicinior est. Accurrunt igitur cum luce species; sed non diducuntur, non explicantur, contractæ adhuc implicitæve circumfunduntur, ideo nihil in charta vides, dum propior foramini est, sed amove paulatim illam; quo magis ac magis ad adversum usque murum amovebis, eo clariores & distinctiores rerum objectarum species contemplaberis. En Tibi egregium fidei Christianæ symbolum, Apostoli, primique Patres propinquiores fuere Christo qui *lux* ob divinitatem, & *ostium* ob humanitatem in Evangelio; imò & *foramen* in Cantico appellatur: Nos verò instar parietis adversi à *luce*, *ostio*, *foramineque* illo, quàm Apostoli, remotiores sumus, majorque proinde, confertior, & copiosior lux in Apostolis quàm in nobis est: fortior in illis quàm in nobis universalium principiorum impressio viget, sed longè tamen minor in illis quàm in nobis rerum distinctio, majorque contra confusio existit. Quò nempe ulteriùs Ecclesia processit, eò explicatiorem mysteriorum notitiam assecuta est: & quò magis in posterum progredietur, eò distinctiorem veritatum perceptionem adipiscetur. *Hispanus.*

Hiſpanus. Ut egregia iſta commenta ſe habeant, nihil hactenus certè allatum eſt unde nova & ſingularis componendæ cum Philoſophia Theologiæ neceſſitas evincatur. Sit jam conveniens, ſit hodie utilis, non tamen idcircò neceſſaria eſt illa pacis ſanctio quam Tu moliris.

Gallus. Quæ duo Tu concedis, ea mihi planè ſufficiunt: quamquam tertium multa jam declarata extorquent. Quæ tametſi nihil conficerent, una tamen ceſſatio miraculorum præſentem Philoſophiæ neceſſitatem induceret.

Hiſpanus. Quæ ceſſatio miraculorum?

Gallus. Quòd donum linguarum, quòd prophetiæ, quòd flammæ de cœlo cadentes, quòd curationes morborum, quòd ſuſcitationes mortuorum; quòd denique alia manifeſtiſſima & frequentiſſima naſcentis Eccleſiæ miracula ferè deſierint, adeò clarum eſt ut probare ſuperfluum ſit. Profectò quicumque ad Sinas, Mogorios, Perſas; Canadenſes, Mexicanos, Madagaſcarios, aut alios populos Evangelii prædicandi causâ hodie mittuntur, inſigni illâ miraculorum publicè patrandorum facultate adeò non donantur, ut ex innumeris hominibus planè apoſtolicis qui tot ab annis totum terrarum orbem Chriſti gratiâ peragrarunt (ſi duos aut tres exceperis, quibus haud temerè prodigioſa quædam facinora tribuuntur) vix ullum re-

peries qui hoc miraculorum dono ita conſpicuus ſit, ut ardua quadam & cæca fide opus non ſit ad tale decus ipſi concedendum. Verúm demus ultró multa hodie quoq; miracula fieri (de quo nemo pius ambiget unquam) non tamen continuò dandum eſt in fidei confirmationem hæc fieri. Negari ſiquidem fortaſſe poteſt ullam amplius per miracula Religionem comprobari.

Hiſpanus. Rectè Tu quidem hac in re, ſic enim de miraculis Auguſtinus ait, *Quæcumque talia in Catholica Eccleſia fiunt, ideò ſunt approbanda quia in Catholica fiunt. NON IDEO IPSA MANIFESTATUR CATHOLICA, QUIA HÆC IN EA FIUNT.*

Gallus. Quomodo igitur (opponet ſtatim aliquis) quomodo nunc tandem probatur eſſe Catholica? rurſus quomodo nunc remotiſſimis Gentibus in umbra mortis ſedentibus Chriſtianæ fidei veritas credibilis efficietur? quid tandem miraculorum loco ſucceſſit? Succeſſit namque aliquid haud dubiè. Quid enim divinæ providentię, ac bonitati fiet, niſi magnum aliquid vel majus vel ſaltem æquale ſucceſſerit?

Hiſpanus. Reſpondet alibi Auguſtinus multitudinem Fidelium vices agere miraculorum: *movet*, inquit ille, *nos Deus dupliciter, partim miraculis, partim multitudine: facta autem ſunt opportuniſſimè miracula, ut his multitu-*

titudine Credentium congregata, atque propagata in ipſos mores utiliter converteretur authoritas.

Gallus. Quaſi verò talis multitudo, taliſve conſenſus apud Ethnicos longè numeroſiores locum non habeat? hanc profectò nihil evincere vel Auguſtinus ipſe affirmaret ſi multò majorem Mahumetanorum multitudinem longè citiùs multóque mirabilius congregatam, & in ſua etiam ſede regnantem contemplaretur; quin & ſolorum quoque Chriſtianorum habitâ ratione, multitudinem veritati parùm ſuffragari ſanctus idem Doctor conteſtaretur, ſi multò plures hæreticorum, & ſchiſmaticorum myriadas non tantùm in Aſia mediaque Africa, ſed in ipſa etiam Europa obſervaret. Ad aliud igitur recurrendum eſt, quod miraculorum munus obeat, & ad propagandam defendendamque fidem ſubſidium afferat. Atqui non aliud, id eſt præter *evidentis* myſteriorum *credibilitatis* demonſtrationem, atque ipſorum *cum ratione non repugnantiæ* manifeſtationem.

Hiſpanus. Ergo Philoſophia miraculi loco nunc temporis eſt! ò novam Chriſtianorum Theologiam!

Gallus. An neſcis quid unus è ſummis Pontificibus reſponderit olim quibuſdam Purpuratis Patribus miracula in Aquinate deſiderantibus, neque propterea futuram ipſius inter Cælites adſcriptionem admodum probantibus

tibus *quot articulos, vel quot capita tot Angelicum Doctorem miracula edidiſſe.* Quid ergo ſuccenſes quod ajam exiſtere ſublimem quandam Theologiam quæ primorum ſeculorum miracula quodammodo imitetur? quid prohibet quominús hæc Salvatoris verba, Marci c. ult. *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur*, hodie ſi tropicè interpretemur. Diſcipuli mei ad ſeculorum uſque finem his ſuam fidem argumentis confirmabunt, *In nomine meo dæmonia ejicient*, id eſt *Dæmonia*, quæ per priores futuras hæreſes ſplendentia, rationis amica, ideòque *meridiana* ſtatim comparitura, & quæ tamen ſubinde per poſteriores hæreticos non tantum comparitura; ſed reipsâ quoque futura ſunt *negotium perambulans in tenebris*, illos, inquam, Tenebriones, eorumque Miniſtros, & Adjutores ſub pietatis prętextu rationem proculcantes ex humanâ tandem ſocietate Diſcipuli mei eliminabunt, totumque inferorum regnum, ubi nulla ſcientiæ lux, & nullus ſapientiæ ordo, ſed ſempiternus caliginis horror inhabitat, per admirabilem doctrinæ lucem exterminabunt. *Linguis loquentur novis*, id eſt, tametſi quæ perſpicaciſſimi Sectatores mei tandem propalaturi ſunt, celeberrimis antiquorum ſapientum effatis mirè concentura ſint, eoque pacto ipſi omnium linguis ita quodammodo locuturi, ut uno, eodemque tempore ab Arabibus & Ægyptiis, à Græcis & Romanis, à Chal-

Chaldæis, & Scythis, ab Æthiopibus & Indis intelligendi ſunt; profunda tamen & alta Priſcorum dogmata novo quodam lumine, novâque myſteriorum illuſtratione ſic inſtaurabunt, ut inaudita, & nulli unquam hominum cognita proferre videndi ſint: præterquam quòd nova quâdam methodo, novaque rerum figuris, & emblematis adhuc tectarum revelatione reconditiſſimam nationum, & ſæculorum omnium ſapientiam quantumvis diverſam in unum, idemque Doctrinæ centrum convenire demonſtrabunt. *Serpentes tollent*, id eſt, Pſeudophiloſophorum hirco-dracones, & Chymeras auferent, portentoſas vulgarium Dialecticorum incantationes exſufflabunt, tortuoſos Sciolorum gyros tranſilient, verboſa Sophiſtarum volumina explicabunt ſinuoſos denique veterum anfractus ita penetrabunt, ut rectum, & planum ad ſapientiam iter aperiant: *ſerpentes etiam tollent*, quia ignorantiam, cæcitatem, ſuperſtitionem, nimiamque adeò credulitatem homines à ratione avocantem, belluis repentibus aſſimilantem, ne ſupra ſe aſſurgant impedientem; humi denique *ſerpere* cogentem expellent. *Et ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit*, id eſt ipſa Epicuræorum, Sadducæorum, aliarumque peſtium doctrina quæ cæteris venenum lethale propinat, adeo non nocebit Diſcipulis meis, ut ex illâ ipsâ extracturi ſint mirabile antidotum

dotum quo impietatem curabunt, æterneque beatitudinis ſpem confirmantes de tenebris lucem educent, mel de petrâ exſugunt, oleumque duro de ſaxo haurient, eò quòd ex ipſa atomorum caligine, confuſionèque ipſum Divinitatis, & Providentiæ radium irrefragabili probatione elicient. Denique *ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*, id eſt mentibus anxiis, dubitantibus, infirmis, imò & Epicuræis nihil niſi ſenſibile, fluxumque agnoſcentibus tam manifeſtam unicæ, infinitæque Divinitatis, veræque immortalitalitatis, ac futuræ juſtorum æternæ beatitudinis demonſtrationem afferent, ut hæc inacceſſa Mortalium conſpectibus arcana ferè palpanda, manibuſve quodammodo contrectanda præbeant; adeò ut qui priùs dubitaverant, certi & convicti poſtea cum dilecto Chriſti Diſcipulo dicant *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, &c.*

Rationem igitur minimè curet quiſquis patrandorum prodigiorum dono adhuc pollet; ſed illam viciſſim colat quiſquis hâc dote jam planè caret. Quamquam ne ipſe quidem prodigiorum patrator, ſi quis ſupereſt, Philoſophiam ſapienter negliget, multòque minùs damnabit. Quot enim occurrere poſſunt ingenia quibus ad fidem traducendis myſteriorum per rationem confirmatio neceſ-

ceſſaria ſit? Enimverò contigit olim, ut paulo ante dictum eſt; atque hodie quoque interdum contingit, ut abſque Philoſophiæ ope ſublimiorum ingeniorum dubitationes Deus extinguat, ſuſpenſaque ſpirituum celeritate, aut ſubductis ab acie mentis rationibus diſſuaſuris per leves etiam veriſimilitudines credibilem faciat Religionem; at ejuſmodi miraculum minimè expectandum eſt, neque divinę providentiæ lex ferre poteſt ut commune fiat, neque quòd iterùm, ac tertiò, ſæpiuſve obtentum ſit, obtinendum adhuc eſſe quiſpiam jure ſperaverit. Philiſtæos Samſon *Aſini* mandibulâ proſtravit, annon ridiculi, & ſuprema clade digni fuiſſent Judęi, ſi cum ſuis hoſtibus non alio deinceps armorum genere congreſſi eſſent? Prędactis lagenis, extinctâque lampade Madianitas Gedeon profligavit, an inde conſequens fuit rem eandem bene ſemper ceſſuram eſſe? Hiericontis muros tubarum clangore Joſuæ proſtravit, an ideò bombardæ æneaque tormenta Chriſtianis adverſus Mahumetanos negligenda ſunt? Qui per Aſini mandibulam, id eſt per ignorantiam; qui per obcæcationem humanę rationis quę lagenis carneis veluti lampadula quædam continetur; qui denique per unum buccinarum ſonitum, per ardentem ſcilicet Concionatorum zelum Impios, & Hæreticos Chriſtiani debellarunt, atque ad veram fidem & pietatem olim perduxerunt,

an

an hoc ipſum pariter in poſterum perfecturi ſunt? Profectò quemadmodum David rejectis aureis Saûlis armis in primo militiæ tyrocinio ſuperbum Goliath cataphractum ſolâ *paſtorali funda* mactavit; ita Eccleſia primos triumphos ſuos de ſuperbis Ethnicis uſque ad Conſtantinum; ac de Hæreticis Philoſophiæ ſtudioſis uſque ad Auguſtinum ſolius, ut ita dicam, ignorantiæ ſubſidio non permitida, fulgentiaque arma, ſed per ſola Ruſticorum rationis expertium tela reportavit. At ſicut unus, idemque David rejectâ tandem fundâ Saûlis arma induit, quibus inſtructus non unum ut antea Philiſtæum, ſed ducentos, ſed mille, ſed exercitus integros Philiſtæorum, atque aliorum Dei hoſtium trucidavit; ita ubi ſapientia, & ratione philoſophica ſeſe Eccleſia armaverit, non ampliùs, præinfinitate, victorias poterit numerare. Quòd ſi ridiculum Davidem diceres, meritoque diceres ſi propter victum funda Philiſtæum, nec lancea, nec gladio, nec galea, nec Thorace uti poſtea voluiſſet; non minùs abſurdi ſunt qui ex præterita Eccleſiæ felicitate inanem ſemper fore ſapientiam arbitrantur.

Atque ut præſente adhuc exemplo manifeſtiùs rem deprehendas, fac ut ex illis novis Apoſtolis (quos *Miſſionarios* appellamus) aliquis Japonibus, Sinenſibus, Americanis, aut Madagaſcariis gallico ſermone Chriſtum annuntiet; harumque Gentium linguam *id-*

circo

circò nolit addiſcere, quòd Apoſtolos Hebraicè loquentes innumera diverſorum Populorum turba, ſua quiſque linguâ loquentes audierit, nonne is per quàm abſurdè ſe gerit?

Hiſpanus. Haud dubiè, nec tàm propitium quàm adverſum Deum hâc agendi ratione experietur.

Gallus. Atqui ſimiliter quiſquis internam illuminationem, ſeu ſufficientem fidei propoſitionem, & judicium evidens credibilitatis non ex ſolidâ ratiocinatione, ſed ex ſolo peculiari miraculo inſpiraturum ſe confidit, is ſtultè ut plurimùm agit. Sicut enim ſuprema Chriſti bonitas ſacros Evangelii Præcones per laborem ac tædium quo peregrinæ linguæ diſcuntur, in ſuæ glorie ſocietatem hodie vocat; ſic eadem ſuprema Servatoris beneficentia decrevit, ut iidem ſui Concionatores veniant in partem Redemptionis animarum per ſpinas, & moleſtias in ſcientiarum acquiſitione ſuperandas.

Itaque ſi faces ac lampades, oriente ſole, vel albeſcente aurorâ extinguendæ ſunt, haudquaquam mirum eſt ceſſaſſe miracula cùm ratio ſuboriri debuerat. Paterna ſcilicet Numinis providentia, non ſecùs ac Mater cum ablactandis infantibus, ſic nobiſcum agit. Nam quemadmodum humana Mater ut ab eſcâ debiliore infantem avertat, atque ad cibum ſolidiorem ſumendum cogat; non tantùm

tùm lac dare recuſat, ſed aliqua inſuper amaritudine papillam aſpergit; ſic planè Deus ut Fideles ab eſca miraculorum alienaret, non expectavit apparitura mendaciter Antichriſti miracula univerſum orbem perditura, atque ipſos etiam Electos (ſi fieri poſſit) in errorem perductura; ſed longè ante permiſit ut Apollonius Thyanæus omnium virtutum, ac prodigiorum forma toti Romano orbi inclaruerit: ipſeque Veſpaſianus Meſſias creditus & cæco viſum, & claudo greſſum, univerſa ſtupente Alexandria, reſtituere viſus ſit. ut innumeri demùm alii tum Impoſtores tùm Magi, atque ipſe poſtea Mahumetes cùm multa prodigioſa præſtare creditus ſit, tùm celeberrimas, atque ad impietatis confirmationem prædictas, promiſſaſque victorias (quas ille miracula nullis pręſtigiis obnoxia vocabat) per ſe, ac per poſteros fere ſemper reportarit. Hanc nempe amaritudinem lacti Fidelium, id eſt miraculis admiſcens Deus ad quærendum ſolidiorem cibum adegit.

Neque verò ut multi falsò putant cum adulta, & vigente quàm cum naſcente Eccleſia pejus agit Chriſtus. Quin potiùs cùm lac initio dederit; vinum in progreſſu, bonum illud quidem, ſed optimum reſervat in finem. Poſteriora certe *rationis* quam priora *ſenſuum* miracula plus gloriæ Fidelibus afferunt, quia in his quàm in illis multò

plus

plus elucet humanæ cooperationis. Sanè ut Deus, cum Nos in prima rerum creatione ad beatitudinis meritum per libertatem comparandum evexit, beneficentior in Nos fuit quam ſi beatitudinem ipſam abſque ullo liberi noſtri arbitrii conſenſu ſtatim infndiſſet, ita pariter quando ſtatuit ut per noſtræ rationis opus in procuranda fide cum ipſo conſociemur, honorificentius nobiſcum agit quam ſi per ſolum miraculorum donum noſtræ vel alienæ fidei qualeſcumque authores Nos efficeret. Quippe hæc quam illud magis ex Nobis eſt, & magis ad Nos ſpectat.

Profecto Judæos longè majori decore, beneficioque Deus affeciſſet, ſi non tam prodigiis per mare rubrum, perque deſertum, quam recta via poſt fuſos acie Ægyptios, poſtque calcatos militari virtute Philiſtæos, & Chananæos ad terram promiſſionis triumphantem Iſraelem perduxiſſet. Neque enim ſtupendus maris, ac Jordanis tranſitus, aut prodigioſa Hiericontis expugnatio, aut aliud ejuſmodi facinus ex divina dumtaxat virtute proficiſcens tantum reipſa gloriæ creat Hæbræis, Moſi, ac Joſue, quantum Roma capta Conſtantinis, Eugenius fuſus Theodoſiis, Sarraceni victi Martellis, & Hieroſolyma liberata Godefridis. Quo nempe majorem in partem operis divini humana facultas venit; eo majorem inde gloriam percipit: in quam

ope-

operis divini partem quod multis de cauſis pro innata vilitate, abjectione, ignaviaque venire Judæi non poſſent; DEUS pro paterna bonitate ſua communis providentiæ leges omnium Nobis glorioſiſſimas in gratiam ipſorum tantæ gloriæ haud capacium violavit.

Similiter (quamquam aliis de cauſis antè memoratis) extraordinariæ magis quàm ordinariæ providentiæ uſus primis Chriſtianis idoneus fuit: & contra communis providentiæ regimen plus nobis gloriæ, nec tantum gloriæ, ſed etiam utilitatis in præſens affert. Nam cum totum divinæ circa Nos providentiæ negotium in libera *cooperatione* humana verſetur, omnino expedit ut maximas prærogativas huic humanæ operæ cum divina conjunctioni Deus alligaret. Quapropter ad excitandam hominum diligentiam, atque induſtriam planè decrevit *ſupremæ perfectionis, aut perennitatis decore nihil coronare quod cum ſumma Mortalium cura, labore, ſtudio, & ſolertia copulatum non ſit.* Itaque per bellatricem Saülis ac Davidis virtutem, majorem Hebræis gloriam, & ampliorem dominatum, quam per omnia Moſis, Joſue, Samſonis, ac Gedeonis prodigia contulit, & per unam Salomonis ſapientiâ, quam per omnem Samuelis ſanctitatem apud exteras nationes illuſtriorem, domique feliciorem populum ſuum Deus effecit. Quis enim, aut qualis, amabo, fructus eſt victoriarum Moſis, Joſue, ac Gedeonis, ſi

conferatur cum fructu victoriarum Saulis, & Davidis, Cyri, & Alexandri, aut Conſtantini, & Caroli Magni? unicus ſcilicet terræ angulus, unicus ut ita dicam, vicus, oppidulum, civitatula, atque unius, aut alterius populi non valde numeroſi profligatio tam ingentium miraculorum partus extitit. Atqui Alexander non cum ſexcentis hominum millibus, abſque impedimentis, ſed cum triginta mille viris totas Aſiæ vires actu cùm perfregit. Uſque adeò verum eſt nolle Deum tantam miraculis quantam induſtriæ humanæ ſuâ ope adjutæ utilitatem largiri.

Quòd ſi nonnunquam accidit ut quæ ab una & extraordinaria Dei poteſtate proficiſcuntur, ea non gradatim, ſed uno fere momento perficiantur; ſecus tamen frequentiùs evenit. Divina quippe ſapientia (ne torpori hominum, deſidiæque locum daret) prorsùs conſtituit nonniſi poſt innumeras difficultates exhauſtas, poſt innumeros rerum giros, poſtque diuturnam proſperi ſucceſſus dilationem ea perficere quæ homines divinæ providentiæ ita committunt, ut ad ea cùm facilè poſſint, operam mutuam divinæque ſociam commodare nolint. Itaque tametſi Deus ſolemni juramento promiſerit auxilium ſuum Eccleſiæ Chriſti nunquam ſe denegaturum; certum tamen eſt eum tantò citiùs, tantoque efficaciùs Eccleſiæ laboranti adeſſe, quantò impigriùs ſolertiuſque humanam

nam industriam Ecclesiæ Rectores adhibent; nec nisi post multa damna, postque longum tenebrarum tempus ex ipsis quodammodo exitii faucibus hanc Dei sponsam eripi, cùm ii qui præsunt humanæ rationis adminicula negligunt, ad eosque Judæos accedunt, qui cùm die Sabbathi oppugnaretur, consultè maluerunt hostium insultantium gladio mactandos se offerre quàm arreptis armis generosè illis resistere, rati scilicet non defore sibi auxilium divinum nisi divino mandato priùs ipsi defuissent. Atqui stolidè quidem illi; at sapientiùs tamen quàm plures Christiani se gesserunt: neque enim Deus tam manifestè videtur inhibuisse quominùs humanam rationem in subsidium vocemus, quàm manifestè visus est à committendo per totum Sabbathum prælio Hebræos deterrere. Sanè quemadmodum Judæi etiam divinâ manu adjuti, & miraculis omnibus instructi, sed vecordes, & generositatis expertes non antequam post quadraginta erroris per solitudinem annos, id tandem præstiterunt quod anno unico, vel tribus mensibus, aut multò etiam citiùs executi essent, si vel Romanâ virtute, vel gallico ardore, vel hispanâ firmitate bis millesima pars infinitæ multitudinis hostes suos statim aggressa esset; ita non dubium est quin multæ hæreses per multa secula propagatæ, & sola tandem authoritate foris compressæ, non intus extinctæ, facilè, ac citò exstirpandæ

dæ fuiſſent, ſi clara diſtinctaque rationis acies nodos illarum reſecuiſſet ; aut alta potiùs, & medullarum ſcrutatrix Philoſophia radices illarum avelliſſet. Verùm quód hactenus præſtitum non eſt haud ægre inpoſterum præſtari poteſt. *Hora igitur eſt jam Nos de ſomno ſurgere*, ſcilicet de longa rationis ſuſpenſione, intelligentiſque facultatis ligamine. *Nuncenim propior eſt noſtra ſalus quàm cùm credidimus*, nunc quippe multò quam ante arbitrati ſumus, fidei noſtræ confirmatio facilior, atque ipſa myſteriorum altitudo intelligentię noſtrę longè propior eſt. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit*, opportuna fuit olim ignorantia, contemptuſque Philoſophię, at nunc quidquid credendum eſt, id etiam intelligi poteſt. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*, igitur ad confundendos Adverſarios noſtros non utamur amplius prætextu errantium proprio, & Principibus tenebrarum digno, ſcilicet rationis & Philoſophiæ vituperio, *& induamur arma lucis*, ſed ad tuendam veritatem, lucem, & rationem æternam adhibeamus arma veritate, luce & ratione digna.

Hiſpanus. Equidem non nego, quòd tam magnificè prædicatur à Te, *Philoſophiæ cum Theologia conciliationem magnum quoddam miraculum, aut omnium potiùs miraculorum compendium, atque inſtaurationem eſſe*. Enimverò concordia hæc prodigium, taleque prodigium eſt ut à nemine adhuc patratum, ne-

que unquam patrandum ſit, quia repugnantiam penitus involvit.

Gallus. Si tamen ut monſtratum eſt, in multis caſibus hodie neceſſarium eſt; quin poſſibile ſit à Nemine catholico, ac ne à religioſo quidem pioque ullo viro dubitari poteſt. Quid enim divinæ ſapientiæ, bonitati, juſtitiæ, ac providentiæ fiet, ſi quod ad ſalutem conſequendam vel interdum tantùm requiritur, in nullius unquam Hominis facultatem cadere perhibetur. Quám mirabile opportunumque eſt, quod hanc in rem Lactantius habet; *Naturam hominis* (inquit ille lib. 3. cap. 11.) *hanc Deus eſſe voluit, ut duarum rerum cupidus, & appetens eſſet; religionis, & Sapientiæ. SED HOMINES IDEO FALLUNTUR, QUOD AUT RELIGIONEM SUSCIPIUNT OMISSA SAPIENTIA, AUT SAPIENTIÆ SOLI STUDENT OMISSA RELIGIONE; CUM ALTERUM SINE ALTERO NON POSSIT ESSE VERUM. Cadunt ergo ad multiplices religiones, SED IDEO FALSAS QUIA SAPIENTIAM RELIQUERUNT, quæ illos docere poterat Deos multos eſſe non poſſe; aut ſtudent ſapientiæ, ſed ideò falſæ quia religionem ſummi Dei omiſerunt, qui eos ad veri ſcientiam potuit erudire. Sic homines qui alterum ſuſcipiunt, vitam deviam, maximiſque erroribus plenam*

ſe-

ſequuntur. QUONIAM IN HIS DUOBUS INSEPARABILITER CONNEXIS ET OFFICIUM HOMINIS, ET VERITAS OMNIS INCLUSA EST. An minimè poſſibile, an mere phantaſticum, an planè repugnans, chymericumque eſt quod cum vera Dei religione inſeparabiliter connectendum, & in quo, ut hominis officium ſit veritas omnis incluſa eſt?

Deinde quiſquis divinę fidei cum humanâ ratione concordiam haud iniri poſſe Tecum affirmat, is Abaillardi, & deterioris adhuc Amalrici blaſphemias inſtaurat. An neſcis deteſtabiles, illos Auctores (ut notat S. Thomas in opere de unitate intellectus) quondam jactaſſe *rationem naturalem fidei contrariam eſſe, atque aliter in Philoſophia, aliter in Theologia ſentiendum eſſe?* An neſcis nobiliſſimos temporis Doctores in ejuſmodi propoſitionem velut in peſtiferum dogma peracriter inſurrexiſſe; ipſaſque Synodos Oecumenias anathemate illos percelliſſe, qui Philoſophorum rationes Chriſtianam fidem oppugnantes diſſolvi non poſſe docerent?

Hiſpanus. An negas divinam fidem ſupra humanam rationem aſſurgere, atque intelligentiæ creatæ à ſuprema Numinis majeſtate pluſquam infinitam diſtantiam eſſe? Profectò ſi rebus in terrenis, manuque contrectabilibus adeò caligamus, ut minima Naturæ opera ignoremus, quomodo ſublimia, &

ſupra nos poſita Divinitatis arcana, quomodo ipſum ſempiternæ Trinitatis ſacrarium inveſtigabimus; nonne incomprehenſibilia Dei judicia, atque inveſtigabiles ejus viæ ſunt?

Gallus. Quàm bellè recentium Hæreticorúm, atque Infidelium omnium cauſam tueris! ſcilicet hâc ipsà diſſerendi arte Anabaptiſtæ, Mahumetanique ſtabiliendis erroribus ſuis inexpugnabile munimentum conſtruunt. Quin ipſi quoque Ethnici hujus tuæ argumentationis ludificatione Anaxagoram temeritatis atque impietatis condemnarunt, quòd Lunæ deliquium occultis quibuſdam myſteriis, nimirum *Draconi lunam devorare conanti* apud omnes gentes tunc attributum, ex telluris umbra, atque ex ejus inter ſolem ac lunam interpoſitione exponi poſſe primus docuiſſet: cujus tamen deficientis lunę cauſis infinitis rebus ſub oculos, ſub aures, ſubque manus noſtras cadentibus longè notiores eſſe tandem compertum eſt? Sed quàm te, Deus immortalis! ſi nunc adeſſent Platonici riderent, cùm ex hoc tuo reſponſo elicerent mentis adhuc tuæ perſpicaciam fugere quod apud ipſorum Tyrones perſpectiſſimum eſt *quò quid perfectius eò divinius, proindeque ſplendidius, lumini propius, perſeque ipſum adeò viſibilius; quò quid contrà imperfectius, eò nihilo, tenebriſque vicinius, perſeque adeo ignotius exiſtere: atque ita quemadmodum uni-*

universalia orbis corpora minimis sensibilium concretionum principiis, & phænomenis illustriora sunt; ita pariter mundum intelligibilem sensibili apertiorem, mentique nostræ minùs inaccessum esse: quæ demum sempiterna, & necessaria per se sunt, ea omnium certissimè, atque exploratissimè subtilioris Philosophiæ oculo se sistere! Verùm demus ultrò, quòd aliàs negabimus, in iis quæ sensum feriunt, vix quidquam nos cernere; non tamen hinc rectè colligis *divina mysteria nobis perinde occulta*, nedum *occultiora esse*. Nam cùm ea divinæ providentiæ lex sit, ut quò quidve magis necessarium, eò communius, facilius, & parabilius quoque sit, cùm rursùs non naturalium, seu sensibilium, sed altiorum, & sacrarum rerum notitia ad salutem per se necessaria sit; non illarum sed harum intelligentiam sapientibus facile parabilem esse oportuit.

Hispanus. Si sic res se habet quomodo constat quod è vaticani montis fastigio magnus Gregorius intonat *scientium nobis est quòd divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum cui humana ratio præbet experimentum*? quomodo verum est quod idem sanctus Doctor ait, *quæ apparent jam fidem non habent, sed agnitionem*? imò quomodo, testante Paulo Fides est *argumentum non apparentium*? nonne ultimus subtilitatis humanæ finis, Augustinus postquam adorandæ Trinitatis obscuritatem, difficultatem,

tem, ineffabilitatem, atque apparentem cum ratione oppoſitionem confeſſus eſt, concludit tandem *Nos* ſcil. Chriſtianos, *vocari fideles, non rationales*, nonne hæc unica, & tota incomparabilis Doctoris reſponſio, ſolutioque eſt?

Gallus. Ea fides non habet meritum quæ virtus non eſt; ea fides virtus non eſt quæ prudenter non elicitur; ea fides prudenter non elicitur quam plena credibilitatis evidentia non præcedit: eam fidem plena credibilitatis evidentia non præcedit, cujus fidei objectum manifeſto quodam argumento vel ab externis, vel ab internis locis deducto non perſuadetur. Cujus porrò fidei objectum ſic perſuadetur, ei ſanè fidei humana quædam ratio præbet experimentum: vel *proximè* quando quis miraculis, & ſignis externis, vel *remotè* quando ſola ratione philoſophica ad credendum impellitur. Quippe humana omnis ſcientia ex ſenſu primitùs oritur, *immediatè* quidem cùm ex apparentiis extraordinariis ad ſenſum appulſis; mediatiùs autem atque obliquiùs, cùm ex multiplici ratiocinatione reſultat. Ex quo vides fidem quam Philoſophia parit, magis intelligibilem, minus certe ſenſibilem eſſe, quàm quæ ex aliis quibuſcumque motivis progignitur.

Quiſquis ergo ſolas philoſophicas non populares credendi rationes à fidei merito remo-

movet, is ſtultiſſimam Græcorum hæreſim (quamquam modo planè contrario) ſtudet æmulari. Ut enim illi ſanctarum quidem imaginum, ſed non ſtatuarum, id eſt picti quidem, cælatique, ſed non ſculpti, fictique Servatoris cultum Deo placere contendunt; ita iſte craſſæ quidem, palpabiliſque, ſed non exquiſitæ, ſubtiliſque rationis uſum fidei quadrare decernit.

Deinde ſi nomine *comprehenſionis* illam exprimis notitiam quæ non tantùm immediatè attingat; ſed etiam quę omnem objecti cognoſcibilitatem exhauriat; profectò ubi res aliqua ſic noſcitur, admirabilis eſſe deſinit, at quis Deum prę:er Deum ipſum ſic noſſe poteſt? Quæ verò *immediatè* tametſi non comprehenſivè apparent, ea quidem non jam fidem, ſed agnitionem habent; at nullum Chriſti myſterium nobis quamdiu mortales ſumus, immediatè apparet: omneque proinde ac quodlibet Chriſti myſterium habitâ noſtri ratione *argumentum eſt rerum* immediatè *non apparentium.*

Quod autem ad *mediatam* ſeu vulgarem comprehenſionem, abſtractivamque apparentiam, id eſt diſtinctam quandam, evidentemque notitiam ſpectat, ea ut centies repetendum erit, in ſempiternæ divinitatis *exiſtentiam*, *majeſtatem*, *atque omnipotentiam* per humanæ rationis experimenta cadit, nec tamen ejuſcemodi rerum admirabilitatem, aut ullum fidei circa hæc meritum

violat. *Inviſibilia* quippe *Dei* (quamvis nihil ipſis mirabilius ſit) *per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, id eſt tam clarè tamque diſtinctè percipiuntur, ut tametſi reverâ non videantur, videri tamen videantur.

Sanè ad explicandum eum Servatoris ingreſſum, qui *januis clauſis* factus eſt, & de quo uno S. Gregorius agit; ut plane dederim, quod negari poteſt, *neceſſariò confugiendum eſſe ad penetrationem ſtrictiſſimè ſumptam*; nonne hanc Scholaſtici apertè poſſibilem eſſe, Platonici verò ex merâ miraculi ceſſatione fieri opinentur?

Denique tam Gregorius & Auguſtinus quàm cæteri Patres populum voce, vel ſcriptis alloquentes multa generaliter, & abſque limitatione proferunt, á quibus dubio procul abſtinerent, vel quæ ſaltem miſum quantum temperarent, ſi cum Doctoribus ſolis ſermonem haberent. Profectò quâ ratione homo non modò ſpiritalis, ſed etiam corporeus eſt quia non tantùm anima rationali ſed etiam corpore conſtat; aut quâ ratione Chriſtus non ſolùm Deus, ſed etiam homo eſt, quia non tantùm perſonam divinam ſed naturam quoque humanam complectitur; hâc eâdem ratione Chriſtianus non tantùm fidelis, ſed etiam rationalis eſt, quia fides ipſa non tantùm ſupernaturalem, ſed etiam naturalem dignitatem, id eſt non tantùm elevationem divinam, ſed etiam prudentiam,

tiam, atque adeò rationem humanam continet: at quo viciſſim ſenſu verum eſt hominem non eſſe mortalem, & corporeum, ſed immortalem, & incorporeum, tum quia non purè mortalis, aut corporeus eſt, tum quia *principaliter* immortalis, & incorporeus eſt, & quo pariter ſenſu verum eſt Chriſtum non eſſe hominem, ſed Deum tum quia non purus homo, tum quia *principaliter* Deus eſt, hoc eodem ſenſu dici poteſt *Chriſtianum eſſe fidelem non rationalem.* Quapropter Auguſtinus vult ſolùm non unà ratione tanquam præcipuo decore ſpectabiles eſſe Chriſtianos, ſed ex eo maximè reliquis hominibus etiam probiſſimis, & ſapientiſſimè agentibus præferendos eſſe, quòd prudens ille actus quo firmiter Chriſto adhærent, tametſi ex motivis valde imperfectis, neque à ſublimiore Philoſophia generatis proveniat, dummodò prudenter proveniat per diviniſſimam ſacramentorum gratiam ſingulariter deificetur: quo ſingulari deificove dono privantur Philoſophi omnes ſubtiliſſimi etiam in Deum credentes, eumque diligentes, & rationabiliſſime ſe gerentes, ſed ſacramentorum participationis expertes.

Hiſpanus. Acutè id quidem, an autem vere Tu videris ipſe. Neque enim neſcis Auguſtino quantumvis ingenioſo per admirabile quoddam oſtentum patefeciſſe Deum *Trinitatis myſterium omnind inſcrutabile, nec tam*

ratione diſcutiendum quàm fide adorandum eſſe. Circumfertur ſane de illo quôd cùm deambulans ſecùs maris littus animo multa de Trinitate volveret, derepente viderit puerum eximia venuſtate prædituṁ, qui cavo quodam inſtrumentulo, cochleari ſcilicet parvulo transferre conaretur immenſos maris fluctus in perexiguam cavitatem; ex quo cùm Auguſtinus percunctatus eſſet quid tandem rei moliretur, reſponderit ille totum ſe mare in foſſulam hanc tranſportare velle; cui ſtatim ſubridens ſanctus Doctor vix repoſuerit fieri nequaquam id poſſe; cùm Puer majeſtate pluſquam humana verendus ſubjecit, *Atqui Deus infinitis partibus major eſt quàm Oceanus, quid ergo illum capere inani tentamine meditaris?*

Gallus. Siccine Alanum cum Auguſtino confundens facere nobis fucum conaris? non is profectò es qui adhuc ignores divinam æternitatem, exiſtentiam, immortalitatem, ſapientiam, & bonitatem eſſe & ipſas quoque perfectiones infinitis partibus Oceano amplores, neque quidquam capacius, atque interminabilius ipsâ Divinitatis infinitate, immenſitateve cogitari poſſe; & tamen hæc Deï æternitas, exiſtentia, immortalitas, ſapientia, bonitas, immenſitas, atque infinitas ab ipſis hominum mentibus anguſtiſſimis ita capitur, ut evidenti demonſtratione probetur? Nec verò de una aut

altera

altera Dei perfectione, aut de uno tantùm perfectionum genere, ſed de omnibus & ſingulis indiſcriminatim, & universè magnus Gentium Apoſtolus ait, *inviſibilia ipſius per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* An quidquam in Deo altiùs quàm *ſempiternam ejus virtutem, ac Divinitatem* fingere poſſumus? quid ergo non intelligetur, quid intellectum non conſpicietur, cùm ſempiterna quoque ipſius Dei virtus, & divinitas intellecta conſpiciatur? nùm idcircò ininveſtigabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis hæc infinita virtus, & divinitas eſſe definit? an ideò vileſcit, ac minuitur, an reverentiæ, ac majeſtatis quidquam ipſi deperit? quâ igitur audaciâ, quâ fronte affirmas aliquam Dei perfectionem quantumvis arcanam, & inviſibilem non fore amplius inveſtigabilem, ineffabilem, atque incomprehenſibilem ſi diſtinctè intelligatur, cùm ſempiternam Dei virtutem Apoſtolus velit non tantum intelligi, ſed etiam intellectam conſpici, id eſt, tam clare cognoſci ut quamvis reipſa non conſpiciatur, conſpici tamen nobis videatur? an non ſingulę Dei perfectiones, & proprietates inter ſe pares, ac prorſus æquales; an non ſingnlę à nobis æquè diſtantes, & ſupra mentis humanæ aſpectum æque poſitæ ſunt? Cur ergo una prę aliis ſubintelligentiam noſtram cadere poterit? Quomodo mens noſtra talem cum una dumtaxat, & non cum

aliis proportionem obtinebit : ut ad eam, & non ad alias acie ſua penetrare poſſit ? teſtatur ſcriptura nec Deum nec divina videri á nobis poſſe quamdiu peregrinamur à Domino, quid tum propterea ? Deine exiſtentiam, immortalitatem, providentiam, libertatem, ſempiternam denique virtutem intuemur ? annon æque obſcura ſunt hæc atque alia : an non æquè fides fertur in hæc atque in cætera ? quæ nos rationes ad hæc certò, atque evidenter affirmanda ducunt, an non ſunt & ipſæ *argumenta rerum* immediatè *non apparentium* : & tamen hæc omnia dicuntur, rectèque dicuntur demonſtrari poſſe, neque in his ratio cum fide pugnat, imò utraque alteram juvat : quis ergo tam perversè vel ſcripturarum interpretatione, vel lectorum credulitate abutatur, ut Mahumetanam cęcitatem, & rationis fugam Chriſtianis imperatam eſſe aſſeveret ?

Rurſus ſi ſupponamus, quod nemini dubium eſt, nullam ingenii laudem Auguſtino defuiſſe, quę allata eſt narratiuncula meritò ſuſpecta videbitur. Potuit quidem Angelus hominem ruſticum minimè ſubtilem, & mere plauſibilium rationum præſtigiis pervium non diſſimili ratione alloqui ; at ſummæ perſpicaciæ virum ſic arguere non Angeli, ſed Pueri pueriliter argumentantis eſt. Sane potuiſſet facile Auguſtinus ſubjicere *non locali ſed ob-*

je-

jectivâ ſeu intentionali capacitate ſuam omnem ſpem, ac meditationem inniti; conſtare porro mentem noſtram, ubi Deo unita, felixque reddita eſt, quamvis adhuc in ſe finita, & limitata remaneat; Deum tamen totum, quantus quantus eſt, immediate percipere, atque amplecti: imo conſtare hanc eandem mentem in hâc etiam vitâ peregrinantem infinitæ quodammodo capacitatis eſſe: nam cum cor humanum infinitæ cujuſdam amplitudinis eſſe dicatur, perſpicuum eſt mentem humanam (cujus capacitas tum cauſa, tum menſura eſt illius quę cordi ineſt) limitatam eſſe non poſſe.

Quamquam ad confundendum Puerum non erat opus ſublimi ratiocinatione. Oſtendere ſatis erat *unicam oculi noſtri pupillam, quantumvis corpoream, & cavitate, quam puer aqua implebat, longè arctiorem; totum tamen ſolem, totam lunam, totas planetas, ac totam firmamenti, ſtellarumque mediam partem perfectè continere; & tamen Oceanum totum, atque ipſam terram univerſam cùm una è majoribus ſtellis comparatam inſtar punctuli eſſe: atque ita quemlibet Mortalium oculum aliquid multò amplius & longè mirabilius patrare quà totum id eſſet quod iſte puerulus tentaret.* Quid ergo mens oculo longè divinior patratura non eſt?

Denique ad certiſſimas Auguſtini nos alloquentis potius quam ad dubias Angeli Au-

gu-

guſtinum monentis voces attendendum eſſe puto. Incomparabilem igitur Magiſtrum audi. *Nullum aliud* (inquit ille cap. 5. lib. 2. de Ordine) *habet negotium quæ vera, & ut ita dicam germana Philoſophia eſt, quàm ut doceat quod omnium rerum principium ſine principio, quantuſque in eo maneat intellectus, quidve inde in noſtram ſalutem ſine ulla degeneratione manaverit; quem unum Deum omnipotentem, eumque Tripotentem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum docent veneranda myſteria, quæ fide ſincera, & inconcuſſa Populos liberant, nec confusè ut quidam, nec contumeliosè ut multi prædicant. Dixerat antea Philoſophia rationem promittit, & vix pauciſſimos liberat, quos tamen non modò non contemnere illa myſteria; ſed* SOLA INTELLIGERE UT INTELLIGENDA SUNT, COGIT. Quid apertius, quid illuſtrius?

Hiſpanus. Bene eſt, ſed dubio procul ignoras tam ſecundos textus ſolemni retractatione Tibi ereptos eſſe.

Gallus. Ignoro planè. Ubi enim, quæſo, commemoratas Philoſophiæ laudes Sanctus Doctor emendavit.

Hiſpanus. Libro primo retractationum cap. 3. his apertiſſimis verbis, *diſplicet* &c. *Quod multum tribui liberalibus diſciplinis quas multi ſancti multum neſciunt, quidam autem qui ſciunt eas ſancti non ſciunt.*

Gallus.

Gallus. O Te ſinceriſſimum expoſitorem! An aliud hoc loco retractat præter id quod cap 9. lib. 2. de ordine expreſſerat. *Qui autem ſola auctoritate contenti bonis tantum motibus rectiſque votis conſtanter operam dederint, aut contemnentes, aut non valentes diſciplinis liberalibus, atque optimis erudiri, beatos eos quidem cùm inter homines vivunt, neſcio quomodo appellem: tamen inconcuſſè teneo, mox ut hoc corpus reliquerunt, eos quò bene magis, minuſve vixerunt, eò facilius aut difficilius liberari.*

Quamquam ne hic quidem in re, quidquam penitus Præceptor evertit, quin potius ſub ipſa retractationis ſpecie validius adhuc, quæ aſſeruerat confirmavit. Sapientiſſimi Magiſtri Capitum infirmiorum ſcandalo, & ſaluti prudenter conſulturi verba expendamus. *Multùm tribui*, ait, *liberalibus diſciplinis, quas multi ſancti multùm neſciunt, quidam autem qui ſciunt eas, ſancti non ſunt.* Quid quod ad rem noſtram faciat, vocibus his violatur? Quod multi ſancti Philoſophię rudes ſint, quod contra multi inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpicientes arcanam tamen veritatem præ ſuperbia, vel præ libidine confiteri nolint, quid hoc adverſus illam, de qua nunc agimus, Philoſophiæ utilitatem facit? Quòd multi homines ſani abſque ulla medicinæ peritia, & ſine ullo ejuſdem uſu vivant, quod contra non pauci medicinæ peritiſ-

ritiſſimi, ejuſque remediis utentes nec ſanitatem, nec vitam conſervent ; quòd multæ arces abſque bombardarum, & nitrati pulveris ope captæ, expugnatęque ſint ; quod contra multæ neque per bombardas, neque per ullas tormentarii pulveris machinas capi, expugnarique potuerint: quid hoc adverſus medicinę aut bellicorum fulminum utilitatẽ facit.

Deinde ſanctus Doctor non ait ſe nimium & *plus æquo*, ſed tantum ſe mulum tribuiſſe liberalibus diſciplinis, atqui reverâ dolere non poteſt quòd multum tribuerit, cùm illis multum haud dubié tribuendum ſit. Aut potius concedamus ultrò (quod à vero minimé abeſt) dolere Auguſtinum, quód multum, imò quód aliquid ſublimiori Philoſophiæ tribuerit, Quiſnam ſenſus eſt retractationis? Ecce. *Perperam ego generaliter & abſque definitione multum tribui liberalibus diſciplinis, nam licet habitâ ratione quarumdam mentium præſtantiorum, & multum, & plurimum altiori ſapientiæ dandum ſit; tamen habitâ ratione populorum, atque etiam vulgarium Doctorum, quorum numerus infinitus eſt, & à quibus fere ſolis, à quibus certè ſæpius volumina mea perlecta ſunt, aut nihil omnino, aut parum admodum tribuendum eſt.* At quid Tu tandem hinc adverſus propoſitum noſtrum concludes?

Advertendum inſuper eſt magnum Doctorem minime dicere multum tribui *ſublimi-*

mi-

missimæ, atque intelligibili sapientiæ sed *liberalibus disciplinis*, nam licet eas à liberandis ab errore Mortalibus sic appellatas esse putaret, atque ita per eas solam Platonicorum Philosophiam intellexisset; quidquid tamen hac de una gloriosè prædicatum erat, non pauci ex communis significationis abusu referebant ad plures alias sive artes, sive disciplinas, quæ nihil ex se ad veritatis agnitionem conferunt, neque per se ad fidem ducunt, imò à fide, atque ab omni pietate avocant, qualis est Epicuræorum, Cynicorum, & Stoicorum disciplina.

Verum nisi opinio me fallit, his verbis, *multum tribui, &c.* Pelagianorum, qui rationi, ac libertati, multò quam par sit, plus tribuerent, abusibus, atque argutiis dumtaxat occurrit, perindeque facit ac si diceret, *Ego quidem rectè asserui nonnullos per Philosophiæ studium ad perfectam mysteriorum nostrorum intelligentiam pervenire; sed male omisi quod insuper asserendum erat omnes verè Christianos, id est ritè baptizatos, tametsi ignaros hebetes, imò lactentes, infantes, ac rationis usu carentes ipsam quodammodo beatam vitam in hoc mortalitatis statu auspicari per singularissimam planeq; deificæ cujusdam gratiæ infusionem: multos contra Philosophos tametsi sapienter sentiant, ac vivant neque sapientius vivere ac sentire queant, Deoque propterea quam proximi esse videantur; quia tamen Christiani non sunt,* ne-

neque de Servatoris adventu quidquam audierunt, à Divinitatis participatione alienos eſſe; eoſque affective *quidem, ſed non* effective *conjunctos Deo, neque proinde ſanctos eſſe ſanctitate illa verè deifica quæ Chriſtianis unicè convenit, & cujus unius ratio habenda eſt.* At quid hæc omnia contra Philoſophicam myſteriorum elucidationem probant?

Hiſpanus. Nihil hæc quidem probant, ſed quæ primo capite libri primi retractationum habentur, ea philoſophicam myſteriorum elucidationem oppugnant: quidquid enim in Platonicorum laudem alibi ſcripſerat, hîc ſanctiſſimus Præſul ſic expungit. *Laus quoque ipſa qua Platonem, vel Platonicos, ſeu Academicos Philoſophos tantùm extuli, quantum ipſos impios homines non oportuit, non immeritò mihi diſplicuit: præſertim quorum contra errores magnos defendenda eſt Chriſtiana doctrina.*

Gallus. Ne te quidem ipſum latere poteſt hîc ſolum corrigi, juſteque corrigi, quod cap. 17. lib. 3. contra Academicos de Platone, Platoniſque Diſcipulis veluti de ſanctiſſimis, divinique conſortii participibus viris periculosè falsòque cum multis aliis, tum vocibus his prædicatum erat. *Hæc & alia hujuſmodi mihi videntur inter ſucceſſores Platonis quantum poterant eſſe ſervata, & pro myſteriis cuſtodita. Non enim haud facile iſta percipiuntur, niſi ab eis qui ſe ab omnibus vitiis mundantes, in aliam quandam pluſquam humanam conſuetudinem*

dinem vendicaverint &c. Quę ſanè laus hominibus idolorum cultoribus, gratiæ ſaltem expertibus minimè tribuenda fuit. Quamobrem Auguſtinus non tantum primo, ſed etiam tertio capite libri primi Retractationem meritiſſimè fatetur ſibi diſplicere *quòd Philoſophos* non vera pietate præditos dixerit *virtutis luce fulſiſſe*. Sed quid hoc ad veram rerum intelligentiam vel periculi, vel repugnantiæ arguendam facit? Quod Græcorum Philoſophi, ut Paulus ait, Deum non glorificaverint, & in paſſiones ignominiæ, ac deſideria cordis ſui traditi ſint, ideòne *quod occultum eſt Dei manifeſtum in illis non fuit?* Ideòne *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta non conſpexerunt?*

Denique profundiſſimus Magiſter libro *de utilitate credendi cap.* 10. perſpicuè ſupponit non tantum fidei, ſed etiam intelligentiæ myſteriorum obtinendæ facultatem Mortalium quibuſdam ineſſe; nec ſolùm cum multitudine *incedere*, ſed inſuper quoque *volare* nonnullos poſſe. Et cap. 11. addit, *duæ enim Perſonæ in religione ſunt laudabiles, una eorum qui jam invenerunt, quos etiam beatiſſimos judicare neceſſe eſt; alia eorum qui ſtudioſiſſimè, & rectiſſimè inquirunt. Primi ergo ſunt in ipſa jam poſſeſſione, alteri in via qua tamen certiſſime pervenitur.*

Hiſpanus. Nonne iſta pariter expreſſe retractata ſunt.

Gal-

ſupra nos poſita Divinitatis arcana, quomodo ipſum ſempiternæ Trinitatis ſacrarium inveſtigabimus; nonne incomprehenſibilia Dei judicia, atque inveſtigabiles ejus viæ ſunt?

Gallus. Quàm bellè recentium Hæreticorúm, atque Infidelium omnium cauſam tueris! ſcilicet hâc ipsà diſſerendi arte Anabaptiſtæ, Mahumetanique ſtabiliendis erroribus ſuis inexpugnabile munimentum conſtruunt. Quin ipſi quoque Ethnici hujus tuæ argumentationis ludificatione Anaxagoram temeritatis atque impietatis condemnarunt, quòd Lunæ deliquium occultis quibuſdam myſteriis, nimirum *Draconi lunam devorare conanti* apud omnes gentes tunc attributum, ex telluris umbra, atque ex ejus inter ſolem ac lunam interpoſitione exponi poſſe primus docuiſſet: cujus tamen deficientis lunę cauſis infinitis rebus ſub oculos, ſub aures, ſubque manus noſtras cadentibus longè notiores eſſe tandem compertum eſt? Sed quàm te, Deus immortalis! ſi nunc adeſſent Platonici riderent, cùm ex hoc tuo reſponſo elicerent mentis adhuc tuæ perſpicaciam fugere quod apud ipſorum Tyrones perſpectiſſimum eſt *quò quid perfectius eò divinius, proindeque ſplendidius, lumini propius, perſeque ipſum adeò viſibilius; quò quid contrà imperfectius, eò nihilo, tenebriſque vicinius, perſeque adeo ignotius exiſtere: atque ita quemadmodum uni-*

universalia orbis corpora minimis sensibilium concretionum principiis, & phœnomenis illustriora sunt; ita pariter mundum intelligibilem sensibili apertiorem, mentique nostræ minùs inaccessum esse: quæ demum sempiterna, & necessaria per se sunt, ea omnium certissimè, atque exploratissimè subtilioris Philosophiæ oculo se sistere! Verùm demus ultrò, quòd aliàs negabimus, in iis quæ sensum feriunt, vix quidquam nos cernere; non tamen hinc rectè colligis *divina mysteria nobis perinde occulta*, nedum *occultiora esse*. Nam cùm ea divinæ providentiæ lex sit, ut quò quidve magis necessarium, eò communius, facilius, & parabilius quoque sit, cùm rursùs non naturalium, seu sensibilium, sed altiorum, & sacrarum rerum notitia ad salutem per se necessaria sit; non illarum sed harum intelligentiam sapientibus facile parabilem esse oportuit.

Hispanus. Si sic res se habet quomodo constat quod è vaticani montis fastigio magnus Gregorius intonat *scientium nobis est quòd divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum cui humana ratio præbet experimentum*? quomodo verum est quod idem sanctus Doctor ait, *quæ apparent jam fidem non habent, sed agnitionem*? imò quomodo, testante Paulo Fides est *argumentum non apparentium*? nonne ultimus subtilitatis humanę finis, Augustinus postquam adorandæ Trinitatis obscuritatem, difficulta-

tem, ineffabilitatem, atque apparentem cum ratione oppoſitionem confeſſus eſt, concludit tandem *Nos* ſcil. Chriſtianos, *vocari fideles, non rationales*, nonne hæc unica, & tota incomparabilis Doctoris reſponſio, ſolutioque eſt?

Gallus. Ea fides non habet meritum quæ virtus non eſt; ea fides virtus non eſt quæ prudenter non elicitur; ea fides prudenter non elicitur quam plena credibilitatis evidentia non præcedit: eam fidem plena credibilitatis evidentia non præcedit, cujus fidei objectum manifeſto quodam argumento vel ab externis, vel ab internis locis deducto non perſuadetur. Cujus porrò fidei objectum ſic perſuadetur, ei ſanè fidei humana quædam ratio præbet experimentum: vel *proximè* quando quis miraculis, & ſignis externis, vel *remotè* quando ſola ratione philoſophica ad credendum impellitur. Quippe humana omnis ſcientia ex ſenſu primiùs oritur, *immediatè* quidem cùm ex apparentiis extraordinariis ad ſenſum appulſis; mediatiùs autem atque obliquiùs, cùm ex multiplici ratiocinatione reſultat. Ex quo vides fidem quam Philoſophia parit, magis intelligibilem, minus certe ſenſibilem eſſe, quàm quæ ex aliis quibuſcumque motivis progignitur.

Quiſquis ergo ſolas philoſophicas non populares credendi rationes à fidei merito remo-

movet, is ſtultiſſimam Græcorum hæreſim (quamquam modo planè contrario) ſtudet æmulari. Ut enim illi ſanctarum quidem imaginum, ſed non ſtatuarum, id eſt picti quidem, cælatique, ſed non ſculpti, fictique Servatoris cultum Deo placere contendunt; ita iſte craſſæ quidem, palpabiliſque, ſed non exquiſitæ, ſubtiliſque rationis uſum fidei quadrare decernit.

Deinde ſi nomine *comprehenſionis* illam exprimis notitiam quæ non tantùm immediatè attingat; ſed etiam quę omnem objecti cognoſcibilitatem exhauriat; profectò ubi res aliqua ſic noſcitur, admirabilis eſſe deſinit, at quis Deum prę:er Deum ipſum ſic noſſe poteſt? Quæ verò *immediatè* tametſi non comprehenſivè apparent, ea quidem non jam fidem, ſed agnitionem habent; at nullum Chriſti myſterium nobis quamdiu mortales ſumus, immediatè apparet: omneque proinde ac quodlibet Chriſti myſterium habitâ noſtri ratione *argumentum eſt rerum* immediatè *non apparentium*.

Quod autem ad *mediatam* ſeu vulgarem comprehenſionem, abſtractivamque apparentiam, id eſt diſtinctam quandam, evidentemque notitiam ſpectat, ea ut centies repetendum erit, in ſempiternæ divinitatis *exiſtentiam*, *majeſtatem*, *atque omnipotentiam* per humanæ rationis experimenta cadit, nec tamen ejuſcemodi rerum admirabilitatem, aut ullum fidei circa hæc meritum

violat. *Inviſibilia* quippe *Dei* (quamvis nihil ipſis mirabilius ſit) *per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, id eſt tam clarè tamque diſtinctè percipiuntur, ut tametſi reverâ non videantur, videri tamen videantur.

Sanè ad explicandum cum Servatoris ingreſſum, qui *januis clauſis* factus eſt, & de quo uno S. Gregorius agit; ut plane dederim, quod negari poteſt, *neceſſariò confugiendum eſſe ad penetrationem ſtrictiſſimè ſumptam*; nonne hanc Scholaſtici apertè poſſibilem eſſe, Platonici verò ex merâ miraculi ceſſatione fieri opinentur?

Denique tam Gregorius & Auguſtinus quàm cæteri Patres populum voce, vel ſcriptis alloquentes multa generaliter, & abſque limitatione proferunt, á quibus dubio procul abſtinerent, vel quæ ſaltem mirum quantum temperarent, ſi cum Doctoribus ſolis ſermonem haberent. Profectò quâ ratione homo non modò ſpiritalis, ſed etiam corporeus eſt quia non tantùm anima rationali ſed etiam corpore conſtat; aut quâ ratione Chriſtus non ſolùm Deus, ſed etiam homo eſt, quia non tantùm perſonam divinam ſed naturam quoque humanam complectitur; hâc eâdem ratione Chriſtianus non tantùm fidelis, ſed etiam rationalis eſt, quia fides ipſa non tantùm ſupernaturalem, ſed etiam naturalem dignitatem, id eſt non tantùm elevationem divinam, ſed etiam prudentiam,

tiam, atque adeò rationem humanam continet: at quo viciſſim ſenſu verum eſt hominem non eſſe mortalem, & corporeum, ſed immortalem, & incorporeum, tum quia non purè mortalis, aut corporeus eſt, tum quia *principaliter* immortalis, & incorporeus eſt, & quo pariter ſenſu verum eſt Chriſtum non eſſe hominem, ſed Deum tum quia non purus homo, tum quia *principaliter* Deus eſt, hoc eodem ſenſu dici poteſt *Chriſtianum eſſe fidelem non rationalem.* Quapropter Auguſtinus vult ſolùm non unà ratione tanquam præcipuo decore ſpectabiles eſſe Chriſtianos, ſed ex eo maximè reliquis hominibus etiam probiſſimis, & ſapientiſſimè agentibus præferendos eſſe, quòd prudens ille actus quo firmiter Chriſto adhærent, tametſi ex motivis valde imperfectis, neque à ſublimiore Philoſophia generatis proveniat, dummodò prudenter proveniat per diviniſſimam ſacramentorum gratiam ſingulariter deificetur: quo ſingulari deificove dono privantur Philoſophi omnes ſubtiliſſimi etiam in Deum credentes, eumque diligentes, & rationabiliſſime ſe gerentes, ſed ſacramentorum participationis expertes.

Hiſpanus. Acutè id quidem, an autem vere Tu videris ipſe. Neque enim neſcis Auguſtino quantumvis ingenioſo per admirabile quoddam oſtentum patefeciſſe Deum *Trinitatis myſterium omnino inſcrutabile, nec tam*

ratione diſcutiendum quàm fide adorandum eſſe. Circumfertur ſane de illo quòd cùm deambulans ſecùs maris littus animo multa de Trinitate volveret, derepente viderit puerum eximia venuſtate prædituum, qui cavo quodam inſtrumentulo, cochleari ſcilicet parvulo transferre conaretur immenſos maris fluctus in perexiguam cavitatem; ex quo cùm Auguſtinus percunctatus eſſet quid tandem rei moliretur, reſponderit ille totum ſe mare in foſſulam hanc tranſportare velle; cui ſtatim ſubridens ſanctus Doctor vix repoſuerit fieri nequàquam id poſſe; cùm Puer majeſtate pluſquam humana verendus ſubjecit, *Atqui Deus infinitis partibus major eſt quàm Oceanus, quid ergo illum capere inani tentamine meditaris?*

Gallus. Siccine Alanum cum Auguſtino confundens facere nobis fucum conaris? non is profectò es qui adhuc ignores divinam æternitatem, exiſtentiam, immortalitatem, ſapientiam, & bonitatem eſſe & ipſas quoque perfectiones infinitis partibus Oceano ampliores, neque quidquam capacius, atque interminabilius ipsâ Divinitatis infinitate, immenſitateve cogitari poſſe; & tamen hæc Deï æternitas, exiſtentia, immortalitas, ſapientia, bonitas, immenſitas, atque infinitas ab ipſis hominum mentibus anguſtiſſimis ita capitur, ut evidenti demonſtratione probetur? Nec verò de una aut

altera

altera Dei perfectione, aut de uno tantùm perfectionum genere, ſed de omnibus & ſingulis indiſcriminatim, & universè magnus Gentium Apoſtolus ait, *inviſibilia ipſius per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* An quidquam in Deo altiùs quàm *ſempiternam ejus virtutem, ac Divinitatem* fingere poſſumus? quid ergo non intelligetur, quid intellectum non conſpicietur, cùm ſempiterna quoque ipſius Dei virtus, & divinitas intellecta conſpiciatur? nùm idcircò ininveſtigabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis hæc infinita virtus, & divinitas eſſe deſinit? an ideò vileſcit, ac minuitur, an reverentiæ, ac majeſtatis quidquam ipſi deperit? quâ igitur audaciâ, quâ fronte affirmas aliquam Dei perfectionem quantumvis arcanam, & inviſibilem non fore amplius inveſtigabilem, ineffabilem, atque incomprehenſibilem ſi diſtinctè intelligatur, cùm ſempiternam Dei virtutem Apoſtolus velit non tantum intelligi, ſed etiam intellectam conſpici, id eſt, tam clare cognoſci ut quamvis reipſa non conſpiciatur, conſpici tamen nobis videatur? an non ſingulę Dei perfectiones, & proprietates inter ſe pares, ac prorſus æquales; an non ſingnlę à nobis æquè diſtantes, & ſupra mentis humanæ aſpectum ęque poſitæ ſunt? Cur ergo una prę aliis ſubintelligentiam noſtram cadere poterit? Quomodo mens noſtra talem cum una dumtaxat, & non cum

aliis proportionem obtinebit : ut ad eam, & non ad alias acie ſua penetrare poſſit ? teſtatur ſcriptura nec Deum nec divina videri á nobis poſſe quamdiu peregrinamur à Domino, quid tum propterea ? Deine exiſtentiam, immortalitatem, providentiam, libertatem, ſempiternam denique virtutem intuemur ? annon æque obſcura ſunt hæc atque alia : an non æquè fides fertur in hæc atque in cætera ? quæ nos rationes ad hæc certò, atque evidenter affirmanda ducunt, an non ſunt & ipſæ *argumenta rerum* immediatè *non apparentium* : & tamen hæc omnia dicuntur, rectèque dicuntur demonſtrari poſſe, neque in his ratio cum fide pugnat, imò utraque alteram juvat : quis ergo tam perversè vel ſcripturarum interpretatione, vel lectorum credulitate abutatur, ut Mahumetanam cęcitatem, & rationis fugam Chriſtianis imperatam eſſe aſſeveret ?

Rurſus ſi ſupponamus, quod nemini dubium eſt, nullam ingenii laudem Auguſtino defuiſſe, quę allata eſt narratiuncula meritò ſuſpecta videbitur. Potuit quidem Angelus hominem ruſticum minimè ſubtilem, & mere plauſibilium rationum præſtigiis pervium non diſſimili ratione alloqui ; at ſummæ perſpicaciæ virum ſic arguere non Angeli, ſed Pueri puerilitèr argumentantis eſt. Sane potuiſſet facile Auguſtinus ſubjicere *non locali ſed ob-*

je-

jectivâ ſeu intentionali capacitate ſuam omnem ſpem, ac meditationem inniti; conſtare porro mentem noſtram, ubi Deo unita, felixque reddita eſt, quamvis adhuc in ſe finita, & limitata remaneat; Deum tamen totum, quantus quantus eſt, immediate percipere, atque amplecti: imo conſtare hanc eandem mentem in hâc etiam vitâ peregrinantem infinitæ quodammodo capacitatis eſſe: nam cum cor humanum infinitæ cujuſdam amplitudinis eſſe dicatur, perſpicuum eſt mentem humanam (cujus capacitas tum cauſa, tum menſura eſt illius quę cordi ineſt) limitatam eſſe non poſſe.

Quamquam ad confundendum Puerum non erat opus ſublimi ratiocinatione. Oſtendere ſatis erat *unicam oculi noſtri pupillam, quantumvis corpoream, & cavitate, quam puer aqua implebat, longè arctiorem; totum tamen ſolem, totam lunam; totas planetas, ac totam firmamenti, ſtellarumque mediam partem perfectè continere; & tamen Oceanum totum, atque ipſam terram univerſam cùm una è majoribus ſtellis comparatam inſtar punctuli eſſe: atque ita quemlibet Mortalium oculum aliquid multò amplius & longè mirabilius patrare quà totum id eſſet quod iſte puerulus tentaret.* Quid ergo mens oculo longè divinior patratura non eſt?

Denique ad certiſſimas Auguſtini nos alloquentis potius quam ad dubias Angeli Au-

gu-

guſtinum monentis voces attendendum eſſe puto. Incomparabilem igitur Magiſtrum audi. *Nullum aliud* (inquit ille cap. 5. lib, 2. de Ordine) *habet negotium quæ vera, & ut ita dicam germana Philoſophia eſt, quàm ut doceat quod omnium rerum principium ſine principio, quantuſque in eo maneat intellectus, quidve inde in noſtram ſalutem ſine ulla degeneratione manaverit; quem unum Deum omnipotentem, eumque Tripotentem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum docent veneranda myſteria, quæ fide ſincera, & inconcuſſa Populos liberant, nec confusè ut quidam, nec contumeliosè ut multi prædicant. Dixerat antea Philoſophia rationem promittit, & vix pauciſſimos liberat, quos tamen non modò non contemnere illa myſteria; ſed* SOLA INTELLIGERE UT INTELLIGENDA SUNT, COGIT. Quid apertius, quid illuſtrius ?

Hiſpanus. Bene eſt, ſed dubio procul ignoras tam ſecundos textus ſolemni retractatione Tibi ereptos eſſe.

Gallus. Ignoro planè. Ubi enim, quæſo, commemoratas Philoſophiæ laudes Sanctus Doctor emendavit.

Hiſpanus. Libro primo retractationum cap. 3. his apertiſſimis verbis, *diſplicet* &c. *Quod multum tribui liberalibus diſciplinis quas multi ſancti multum neſciunt, quidam autem qui ſciunt eas ſancti non ſciunt.*

Gallus.

Gallus. O Te ſinceriſſimum expoſitorem! An aliud hoc loco retractat præter id quod cap 9. lib. 2. de ordine expreſſerat. *Qui autem ſola auctoritate contenti bonis tantum motibus rectiſque votis conſtanter operam dederint, aut contemnentes, aut non valentes diſciplinis liberalibus, atque optimis erudiri, beatos eos quidem cùm inter homines vivunt, neſcio quomodo appellem: tamen inconcuſſè teneo, mox ut hoc corpus reliquerunt, eos quò bene magis, minuſve vixerunt, eò facilius aut difficilius liberari.*

Quamquam ne h'c quidem in re, quidquam penitus Præceptor evertit, quin potius ſub ipſa retractationis ſpecie validius adhuc, quæ aſſeruerat confirmavit. Sapientiſſimi Magiſtri Capitum infirmiorum ſcandalo, & ſaluti prudenter conſulturi verba expendamus. *Multùm tribui*, ait, *liberalibus diſciplinis, quas multi ſancti multùm neſciunt, quidam autem qui ſciunt eas, ſancti non ſunt.* Quid quod ad rem noſtram faciat, vocibus his violatur? Quod multi ſancti Philoſophiæ rudes ſint, quod contra multi inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpicientes arcanam tamen veritatem præ ſuperbia, vel præ libidine confiteri nolint, quid hoc adverſus illam, de qua nunc agimus, Philoſophiæ utilitatem facit? Quòd multi homines ſani abſque ullâ medicinæ peritia, & ſine ullo ejuſdem uſu vivant, quod contra non pauci medicinæ peritiſ-

ritiſſimi, ejuſque remediis utentes nec ſanitatem, nec vitam conſervent ; quòd multæ arces abſque bombardarum, & nitrati pulveris ope captæ, expugnatęque ſint ; quod contra multæ neque per bombardas, neque per ullas tormentarii pulveris machinas capi, expugnarique potuerint: quid hoc adverſus medicinę aut bellicorum fulminum utilitatẽ facit.

Deinde ſanctus Doctor non ait ſe nimium & *plus æquo*, ſed tantum ſe mulum tribuiſſe liberalibus diſciplinis, atqui reverâ dolere non poteſt quòd multum tribuerit, cùm illis multum haud dubié tribuendum ſit. Aut potius concedamus ultrò (quod à vero minimé abeſt) dolere Auguſtinum, quód multum, imò quód aliquid ſublimiori Philoſophiæ tribuerit, Quiſnam ſenſus eſt retractationis? Ecce. *Perperam ego generaliter & abſque definitione multum tribui liberalibus diſciplinis, nam licet habitâ ratione quarumdam mentium præſtantiorum, & multum, & plurimum altiori ſapientiæ dandum ſit; tamen habitâ ratione populorum, atque etiam vulgarium Doctorum, quorum numerus infinitus eſt, & à quibus fere ſolis, à quibus certè ſæpius volumina mea perlecta ſunt, aut nihil omnino, aut parum admodum tribuendum eſt.* At quid Tu tandem hinc adverſus propoſitum noſtrum concludes?

Advertendum inſuper eſt magnum Doctorem minime dicere multum tribui *ſublimi-*

mi-

missimæ, atque intelligibili sapientiæ sed *liberalibus disciplinis*, nam licet eas à liberandis ab errore Mortalibus sic appellatas esse putaret, atque ita per eas solam Platonicorum Philosophiam intellexisset; quidquid tamen hac de una gloriosè prædicatum erat, non pauci ex communis significationis abusu referebant ad plures alias sive artes, sive disciplinas, quæ nihil ex se ad veritatis agnitionem conferunt, neque per se ad fidem ducunt, imò à fide, atque ab omni pietate avocant, qualis est Epicuræorum, Cynicorum, & Stoicorum disciplina.

Verum nisi opinio me fallit, his verbis, *multum tribui, &c.* Pelagianorum, qui rationi, ac libertati, multò quam par sit, plus tribuerent, abusibus, atque argutiis dumtaxat occurrit, perindeque facit ac si diceret, *Ego quidem rectè asserui nonnullos per Philosophiæ studium ad perfectam mysteriorum nostrorum intelligentiam pervenire; sed male omisi quod insuper asserendum erat omnes verè Christianos, id est ritè baptizatos, tametsi ignaros hebetes, imò lactentes, infantes, ac rationis usu carentes ipsam quodammodo beatam vitam in hoc mortalitatis statu auspicari per singularissimæ planeq; deificæ cujusdam gratiæ infusionem: multos contra Philosophos tametsi sapienter sentiant, ac vivant neque sapientius vivere ac sentire queant, Deoque propterea quam proximi esse videantur; quia tamen Christiani non sunt,* nec

dinem vendicaverint &c. Quę ſanè laus hominibus idolorum cultoribus, gratiæ ſaltem expertibus minimè tribuenda fuit. Quamobrem Auguſtinus non tantum primo, ſed etiam tertio capite libri primi Retractationem meritiſſimè fatetur ſibi diſplicere *quòd Philoſophos* non vera pietate præditos dixerit *virtutis luce fulſiſſe.* Sed quid hoc ad veram rerum intelligentiam vel periculi, vel repugnantiæ arguendam facit? Quod Græcorum Philoſophi, ut Paulus ait, Deum non glorificaverint, & in paſſiones ignominiæ, ac deſideria cordis ſui traditi ſint, ideòne *quod occultum eſt Dei manifeſtum in illis non fuit?* Ideòne *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta non conſpexerunt?*

Denique profundiſſimus Magiſter libro *de utilitate credendi cap.* 10. perſpicuè ſupponit non tantum fidei, ſed etiam intelligentiæ myſteriorum obtinendæ facultatem Mortalium quibuſdam ineſſe; nec ſolùm cum multitudine *incedere*, ſed inſuper quoque *volare* nonnullos poſſe. Et cap. 11. addit, *duæ enim Perſonæ in religione ſunt laudabiles, una eorum qui jam invenerunt, quos etiam beatiſſimos judicare neceſſe eſt; alia eorum qui ſtudioſiſſimè, & rectiſſimè inquirunt. Primi ergo ſunt in ipſa jam poſſeſſione, alteri in via qua tamen certiſſime pervenitur.*

Hiſpanus. Nonne iſta pariter expreſſe retractata ſunt.

Gal-

Gallus. Nonne id, de quo nunc agimus, hac ipſa retractatione prorſus confirmatum eſt? Auguſtini ſe caſtigantis, vel ſi mavis exponentis verba referamus. *In his verbis meis* (inquit ille lib. 1. retract. cap. 14.) *ſi illi qui jam invenerunt, quos in ipſa poſſeſſione eſſe jam diximus, ſic accipiantur beatiſſimi, ut non in hac vita, ſed in ea quam ſperamus, & ad quam per fidei vitam tendimus, ſint; non habet iſte ſenſus errorem*, &c. *Si autem in hac vita putantur iſti eſſe vel fuiſſe id verum eſſe mihi non videtur. Non quia in hac vita nihil veri omnino inveniri poteſt, quod mente cernatur, non fide credatur: ſed quia tantum eſt, quidquid eſt ut non faciat beatiſſimos: neque enim quod ait Apoſtolus* videmus hunc per ſpeculum in ænigmate, *& nunc cernitur* ex parte, *non cernitur mente?* Cernitur *planè, ſed beatiſſimos nondum facit.* Ex quibus perſpectiſſimum eſt ſanctum Doctorem pro indubitato habere non *immediatè quidem ſed mediatè tamen myſteriorum veritatem à nobis adhuc mortalibus cerni poſſe*, perfectamque rerum divinarum intelligentiam non *intuitivam* quidem (quam in cælo tantum conſequemur) ſed abſtractivam tamen in terra comparari poſſe. Quæ quidem intelligentia ſi cum deliciis omnibus mortalitatem afficientibus comparetur, perfectiſſima beatitudo eſt; ſi verò cum Sanctorum Chriſto perfruentium luce, gaudioque conferatur, non

non perfecta, nedum perfectiſſima beatitudo; ſed rudis tantum, imperfectaque beatitudinis adumbratio eſt.

Quod ſi Auguſtinus à conjungenda fide cum ratione tantiſper repugnaret, cur ea quæ contra Creſconium conjunctionis hujus inimicum diſertè, atque ex profeſſo diſputavit, in ſuis Retractationum libris non emendaret? Cur quod in libro de vera Religione ſcripſit *perpaucis mutatis Platonicos Chriſtianos fore* non improbaret? An unquam retractavit, aut levi poſtea cenſura notavit quod lib. 3. contra Academicos cap. 3. affirmarat, *Nulli dubium eſt gemino pondere nos impelli ad diſcendum, authoritatis, atque rationis, mihi autem certum eſt nunquam prorſus à Chriſti authoritate diſcedere, non enim reperio valentiorem. Quod autem ſubtiliſſima ratione proſequendum eſt, apud Platonicos interim quod ſacris literis non repugnat; reperturum me eſſe confido?* An denique unquam damnavit, aut ullo pacto ſignificavit immutatum eſſe illum animi ſui ſenſum, quem hiſce verbis lib. 3. contra Academicos cap. 20. quondam expreſſit. *Ita jam ſum affectus ut quid ſit verum non credendo ſolùm ſed etiam intelligendo apprehendere impatienter deſiderem?* Denique ad explorandam ſinceriorem Auguſtini mentem adire juvat, non tàm Polemicos adverſus Pelagium, & Julianum, quam pacificos

de

de Civitate Dei libros à finita Pelagianorum controverſia exaratos, in quibus quidem libris tantum abeſt ut eorum quę ſupra expoſui quidquam correxerit, aut minuerit, quin potius novis & ſuſis quibuſdam encomiis ab eo nuſquam retractatis amplificaſſe videri poſſit. Quòd ſi ſublimiſſimo Doctori per labores, per ſollicitudines, & per inſtitutum vitæ genus, quod propoſuerat, executioni mandare licuiſſet, quanta Deus immortalis! caligini noſtræ lux oborta eſſet!

Hiſpanus. Ut certum ſit Magiſtro incomparabili bene id ceſſurum eſſe; ecquis inter nos eſt qui de ſe quidpiam ſimile ſic ſperet, ut ſuis viribus nimium fiſus id operis ſuſcipiat cujus magnitudo longè ſupra ipſius tenuitatem exurgat?

Gallus. Quæcumque ſit ingenii mei exîlitas; cujus probè conſcius ſum, ea me nec moratur, nec terret. Nimirùm ex modeſto, prudentique Magiſtro (lib. 2. contra Academ.) didici *duo eſſe vitia, & impedimenta inveniendæ veritatis, à quibus* ſapientiæ ſtudioſus cavere debeat, periculum quippe eſt *ne ſe contemnat, atque inventurum eſſe deſperet, aut certê ne ſtatim inveniſſe ſe credat.* Nec verò quidquam ſingulare modeſtiſſimus Doctor ſibi arrogat, quando (lib. 3. contra Academ. cap. 20) ſic concludit, *ſed ut breviter accipiatis omne propoſitum meum, quoquo modo ſe habet humana ſapientia, eam me video nondum*

dum percepiſſe, ſed cùm triceſimum & tertium ætatis annum agam, non me arbitror deſperare debere, eam me quandoquè adepturum eſſe.

Equidem ſcio quàm fruſtra rem hanc multi tentarint, ſcio quam ardua, & ſupra vires humanas poſita nonnullis eſſe videatur, ſcio quantæ temeritatis, atque inſaniæ non raro damnetur quiſquis hùc ſe tandem perventurum eſſe jactaverit; ſed ſcio pariter quam fruſtra Indiarum iter ab Hiſpanis Argonautis diu ſuſceptum ſit; ſcio quantarum ſpecie difficultatum a tentando itinere illo per multa ſeculorum ſpatia Mortales deterriti ſint: Denique ſcio non pauca Deum ſub finem aperire ſub quę initia prorſus texerat, nec raro ipſum conatibus infirmiorem illa tribuere, quæ potentiorum quieti denegarat. Aſtrorum, ventorum, maritimarumque rerum, multi ſine dubio peritiores ante Columbum vixerant, & tamen ille unus eſt qui novum orbem primus invenit, quia primus eſt qui feliciter id aggreſſus ſit. Atqui plura, & ſpecioſiora Columbum a Propoſito quam Myſteriorum adyta penetraturum ab inſtituto ſuo deterrere poterant. Deridebatur ab omnibus Genuenſis ille Aſtronomus, atque ut delitus, & arrogantiſſimus habebatur, quod id ſe perfecturum eſſe ſperaret, de quo tot ſecula deſperaverant; quod ſe veteribus tam ſacris, quam profanis ſapientibus, atque ipſi

Augu-

Auguſtino præferret; quòd mentis ſuæ ſomnia velut oracula quædam ſectaretur: quod demum anilibus fabulis, Carthaginenſis nempe Hannonis navigationi fidem haberet. Quin etiam poſt ſcommata, jocos, & riſus ſeveriſſima impietatis, atque hæreſeos accuſatio ſequebatur.

Scilicet objiciebatur injuriam per illum fieri divinæ providentiæ quæ per tot annorum millia mediæ orbis parti nullum auxilium ad ſalutem neceſſarium procuraſſet: Objiciebatur ex Auguſtino, atque ex omnium pene Hiſtoricorum teſtimonio, vel nunquam, vel certè à Chriſti morte Neminem ad Antipodas perveniſſe, & tamen ex fide conſtare totum terrarum orbem ab Apoſtolis peragratum eſſe juxta celeberrimum regii Prophetæ vaticinium Apoſtolis ab Apoſtolo adſcriptum, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Denique objiciebatur ruere fidei Chriſtianæ veritatem ſi ſubter pedes noſtros veſtigiis noſtris adverſi homines incedant, cùm inde planum ſit neque Adamum eſſe omnium Mortalium caput, & originem; neque generale diluvium extitiſſe, neque Chriſtum pro omnibus mórtuum eſſe, quandoquidem nullam tot Populorum ſempiterna nocte ſepultorum curam habuerit, neque ullum ad eos mittere dignatus ſit, *nimiſque abſurdum eſt* (ſancti Doctoris verba ſunt) *ut dicatur aliquos homines ex*

hâc

hac in illam partem Oceani immenſitate trajecta navigare, ac pervenire potuiſſe: ut etiam illic ex uno illo primo homine genus inſtitueretur humanum. Quot igitur & quanta monſtra Columbo heroicum facinus auſuro opponebantur!

Quod nihilominus ille contemptis generalibus Mortalium præoccupationibus, deriſis tot ſeculorum præjudiciis, & calcatis æmulorum rumoribus per infinita Oceani pericula conſtanter, atque animoſe novas regiones exploravit; Ecquis inſanire illum dicat qui non contra, ſed juxta Principum Eccleſiæ Patrum decreta, non novas terras, ſed nova ſydera, aut novam potius in priſcis Myſteriorum ſyderibus lucem quæſiturus, poſthabita vulgari quadam anticipatione, & protritis Adverſariorum inſultibus, non nova quidem affirmare nititur, (veritas ſiquidem æterna eſt, nec præter mendacium quidquam reipſa novum eſt) ſed id tamen (juxta ipſius profanarum novitatum impugnatoris conſilium) molitur, ut *ipſo exponente intelligatur illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur, & per illum poſteritas intellectum gratuletur, quod antea vetuſtas non intellectum venerabatur?* Sane quo mentis ac ſalutis opes fictilibus Theſauris ſublimiores ſunt, hoc novæ intelligentiæ apprehendendæ, quam novæ orbis plagæ detegendæ conatus magis ne-

ceſſarius, magiſque glorioſus, & quamdiu quidem ex divina Eccleſiæ cynoſura, ex ſummorum ſcilicet Pontificum luce dirigitur, longe tutior eſt.

Hiſpanus. Igitur quod neque Molinæ, Suarezii ve, neque Alvarezii, Bannezii ve, neque infinitæ Doctorum noſtrorum Myriades tot méditationibus, tot vigiliis, tot laboribus, tot diſputationibus efficere adhuc potuerunt, Tu te perfecturum eſſe ſperas? ô ſingularem animi tui modeſtiam?

Gallus. Quod innumeri Doctores tui poſt tot examina, tentaminave fidem cum ratione nondum compoſuerint, hinc profectum eſt quod Philoſophiæ vulgaris principia ubique ſuppoſuerint, pro conſtantibus ſemper habuerint, ex iiſdem paſſim argumentati ſint. Quid autem mirum ſi quam ruinoſis adeo fundamentis Theologiam fulcierunt, ea nihil firmitatis, hactenus conſecuta ſit. Pleræque certe difficultatum quas circa *Trinitatem*, *gratiam*, & *prædeſtinationem* Theologi tui experiuntur, ex iis quas circa naturæ arcana paſſi ſunt tenebris, & hallucinationibus proceſſerunt. Quòd ſi quam obſtinate neglexerunt, tam diligenter illi ſubtilioris philoſophiæ ſtudium coluiſſent; magna, mihi crede, lumina cœleſtem ad diſciplinam hinc derivaſſent.

Hiſpa-

Hiſpanus. Proh ſuperi! philoſophiam ſubtiliorem Gallus Hiſpanos docere meditatur! Atqui nunc tandem velim accipias non ſeriò ſed animi tantùm cauſa, neque tuendæ (quem prorſus improbo) Janſenii ſententiæ, ſed explorandi dumtaxat ingenii tui gratia huc uſque Me tecum diſputaviſſe. Nam cùm Mihi plane liquidum ſit Theologos tuos non argumentatricis, non altæ, non ſubtilis, non quæſtionum exenteratricis, non ſcholaſticæ demum, ſed poſitivæ tantum, mereque cicatricis, ac textuariæ Theologiæ ſectatores eſſe, haud ſine ſumma indignatione excepi quod à Te, coram Me, heſterna die jactatum eſt, *Gallorum tuorum proprium decus eſſe philoſophiam cum Theologia conjungere.* Nec vero propterea tunc temporis dignatus ſum tuam iſtam de Tuis ſententiam ab ipſa quoque veriſimilitudine alienam refellere, ſed Gallicum in Te furorem exagitaturus, & Theologorum tuorum ſimplicitatem, hebetudinemve in tua facile irriſurus *nihil Theologiæ cum Philoſophia commune eſſe debere, Tuoſque proinde, vel unde laudares, vituperandos eſſe,* ſtatim pronuntiavi, idque inſuper hodie me demonſtraturum eſſe promiſi. At cùm ex iis quæ hactenus reſpondiſti, minime indignus Hiſpano adverſarius videaris, neque indecora, quæ de Te reportanda eſt, victoria fore appareat, placet nunc ſerio Tecum pugnare,

gnare, tamque honorificæ cladis gloria Te inſignire.

Fateor igitur *cum ratione fidem componendam eſſe*; ſed una proteſtor, *per alios quam per Hiſpanos ejuſmodi concordiam ſubtilius iniri non poſſe, nec proinde ullam noſtræ philoſophiam merito præferendam eſſe.*

Gallus. Hac de re, ſi lubet, opportunius cras diſſeremus.

FINIS.

A61 145 4333